ELB
GRUNA
BIBL.

PETRVS A CASTRO DE FEBRE MALIGNA.

Reinhard

FEBRIS MALIGNA PVNCTICVLARIS

Aphorismis delineata.

PETRO A CASTRO
BAYONATE
Autore.

PATAVII, CIↃIↃCLII.
Sumtibus Caroli Moiæ.

Apud Io. Baptistam Pasquatum.
Superiorum permissu.

Biblioteka Ibarrola
Teruel

DZZiS
BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
1775
Oto. 7. I. 468
ST. PRED. SUK. S.T.

Illustriss. ac Generosiss.

D. ANDREÆ ZANINO

Marostic. Patauini Gymnasij Syndico Pro Rectori

Carolus Moia S. D.

CVm tibi nouum hoc Gymnasij Regimen effuse cuncti mortales gratulentur, ipsaq; literæ ac disciplinæ auspicijs tuis exhilaratæ renideant, votis quoque meis locum fore speraui, æquo scilicet animo laturum te, si nouæ huius operis editioni clarissimum nomen tuum præfigerem. Spondebat hoc tua omnibus obuia comitas, ac facilitas, publicique fauoris promerendi singulare & efficax studium.

Nam ingenij tui dexteritatem, atq; ætate maiorem prudentiam Rectorum Vrbis testimonio non semel comprobatam, indefessam sedulitatem, ac salutares publicæ quietis excubias, magna scriptorum ingenia, victurisq; lapidibus inciſa monumenta posteritati commendabunt. Mihi satis fuerit hanc artem ingeniorum ministram ac literarum propagatricem factitanti bono omine immortalitatem tibi auguratum esse, quam tu præclaris factis, insigni generositate, ac flagranti omnium ordinum gratia consequeris. Vale.

Patauij à die xv. Decemb.
M. D C. L I.

AVTORIS PRAEFATIO.

Studioſſiſimis Meritiſſimiq; viris, philoſophiæ, ac Medicinæ DD.

FRANCISCO IONAE Patric. Veron. GOTOFREDO TILESIO. MAXIMILIANO VVALTHERO, MARTINO VVIRTH, IOANNI SCVLTETO, GEORGIO CHRISTIANO STE. BERLINO, CHRISTIANO DOMNISCH, BALTHASARI VVALKNER, I. MARTINO FAERO, SEBASTIANO NETH, Germanis,

Dilectiſſimis in praxi Diſcipulis

PETRVS A CASTRO
Medicus Vercnenſis.

MOrbi immaniter hac tempeſtate graſſantis, Iuuenes Clariſſimi, non ſemel deſcriptionem poſtulaſtis: ecce vobis accuratam, & quantã potui breuitate compilatam exhibeo. Accuratam, quandoquidem rei dignitas non patitur extremis labris tanti momenti diſciplinam deguſtari.

Bre-

Breuem, ut exactius liceat adipisci, mentisque adytis altius recondi doctrinam, in qua morborum fere omnium compendium inuenietis. Ab una namque ista febre tanquam à crudeli Pandoræ pyxide pullulare vidistis sæpius Morborum, ac Symptomatum omne genus. Percurrite cerebri morbos, ecce in febri Puncticulari phrenitides, lethargos, typhlomanias, deliria, obliuiones, insignes tristitias, cephalæas, vigilias, somnolentias, epilepticos insultus, conuulsiones, dentium stridores, tremores, horrores, iactationes, surditates, aurium tinnitus, narium hæmorrhagias, vertigines, cæcitates, strabismos, mutitates, & mille alia. Diuertite mox paulò inferius; ecce ex alio agmine insurgent, anginæ suffocantes, tusses irrequietæ, fœtidi anhelitus, difficiles respirationes; pulsuum mille varietates, & ataxia; cordis denique grauiores affectiones, syncope nempe, lipothymiæ, palpitationes, febrium omne genus variis insignitum differentijs. Alia namque se exhibent horrificæ, sudorificæ aliæ, aliæ ampullosæ, seu pomphingodes, aliæ lassitudinariæ, aliæ anxiosæ, urentes, lipyriæ, pallidæ, lividæ, ut hoc usurpem Hippocratis elegan-

tem

tem *febrium partitionem Sexto Epid. Sectione Prima Tex. 22. vobis exhibentis. Principi visceri propter sympathiam adherebunt acres cardialgia, mox ex imo ventre subsilient singultus, inanes nauseæ, comitus irriti, inappetentia fastidiosissima, sitis inexhausta, & quandoque cum mira lingua ariditate nulla, linguarum nigredo, ac horrida scabrities. Pertinacissima præterea viscerum obstructiones, quin & ipsorum parenchymatum corruptiones immedicabiles, icteri ancipites, intestinorum murmura, cruciatus, choleræ, diarrhœæ, dysenteriæ, tenesmi, verminationes, urinarum tùm laxa profluuia, tùm arctæ suppressiones, & quod tandem sine admiratione ingenti non potuistis observare, impudicæ satyriases rara crisi forsan iudicandæ, de qua Hippocrates Sexto Epid Section. 2. Tex. 31. Sed quid in corporis peripheria, quid in uniuersali corpore non indicabit hydra multiceps ista? Longum esset maculas, pustulas, tumores, parotides, gangranas, anthraces, sudores fœtidos, exsoluentes madores, colliquantes effluxus, dolores ambulatiuos, quin & phthiriases recensere. Sed hæc videntur sufficere, ut uniuersa-*

lem

lem ferme praxim in vno morbo, & totam medicinam in vno coacernatam affectu concipiatis, & flores vestrarum annua praxi obseruationum accurate colligatis, serta aliquando paraturi, & Cinicis corollis gloriosa redimituri tempora.

Affectus tamen iste, quod videatur indies ferocius debacchari, & grassari acerbius, tanta dexteritate tractandus venit, ut in singulis singulari utendum sit methodo, ac diuersa penitus medendi ratione. Quibusdam enim à principio conueniunt lenientia, quibusdam nocent; alios crebri sudores liberãt, alios & plurimos perimunt. Sanguinis euacuatio cunctis semper profuit, sed diuersimode & apto tempore decentique copia celebrata, non diminuta errore Erasistratico. Metu enim inani infamantur nobilis artis praesidia, & vulgus indelebili, ac pertinaci imbuitur abusu. Modus tamen in rebus est, nec semper effrenandi humores maligni, ablato sanguinis dulci contubernio: nihil perniciosius, si absque delectu, ac praemeditatione usurpetur: vesicantia non valde hoc tempore prodesse visa sunt: forsan quia crises salubriter futuras diuertere possent

sent. Alui fluxu maior pars euasit; purgantia tamen medicamenta, aut semipurgantia ante decimamquartam exhibita multos in ruinam egerunt, conturbatis magis, ac magis exacerbatis humoribus. Haec omnia, ac multo plura, non solum in nostris curationibus diligenter annotastis; sed in diuersis pariter consultationibus, quas cum Clarissimis Veronensibus Archiatris saepius iniuimus. Multa quidem ex abundanti penu Doctissimi ALEXANDRI LISCAE, *nobilitate, aetate, & consilio excellentis, in quem unum priscorum Veronensium Medicorum tot saeculis, ac terris illustrium antiqui imbaris cuncti simul videntur radij collimasse. Nunmirora ex Aurato Equite* FRANCISCO PONA *Musarum Coryclo, Artis peritia, omnigena eruditione, sermonisq; venustate inimitabili Selectissima quàm plura ex Lyceo acutissimi* HIERONYMI FRANZOSII (*Lyceum enim valde suum sibi fecit alter Aristoteles*) *qui ingenij sagacitate, sententiarum soliditate, severa denique grauitate, dignitatis Medicae unicus asserter vere dici potest. Accuratam denique medendi Methodum à meritissimo* OCTAVIO

FRANCHINO *prudentia, dexteritate morumq; suauitate insigni. Quibus non pœnitebit ex iunioribus adnectere* ALDERICVM, *ac* SEDABONVM, *qui inter cæteros Collegij Veronensis peritissimos viros sæpius audistis odorem Hippocraticum spirantes. Ex his abunde potuistis copiosum vobis parare commeatum, rectèque præmuniri, ut si aliquando irato Numine contigerit à tali ferocissimo hoste obsideri vestras ciuitates, impetum aduorientis valide propulsare, ac fortiter sustinere valeatis. Valete interim, & munusculum istud grato animo, & tenaci memoria accipite.*

Veronæ

FEBRIS MALIGNA PVNCTICVLARIS.

Aphorismis delineata.

Sectio I.

Natura, ortus, & nomen febris pulicaris: vt antiquis cognita: à pestilentibus, & putridis diuersa.

I.

INconstantem, & incertam huius febris naturam, ex multorum accidentium syndrome, facile est, etiam mediocriter peritis; adipisci at ex vno, vel altero signo, & sæpe sub specie boni laruato, non ita fa-

facile : nam *valde peritis quandoque medicis similitudines pariunt errores, & difficultates.* 6. epid. S. 8. Text. 44.

II.

Sæpe succedit ista febris, ideam referens intermittentium, & tamen breui, quinta scilicet, septima, aut nona, incipit ostendere suam feritatem. Hoc est quod dicitur, febrem mutasse naturam, & factam fuisse malignam : erat quidem à principio talis, sed occultabantur seminaria. Sic intelligo Hippocratem 7. Epid. text 80. vbi errores in victus ratione describens, & edulia praui succi, ex quibus producitur morbosus apparatus, ait. *Et febres intermittentes, & quibus rigores accidunt, hæ aliquando malignæ sunt.*

Hinc

III.

Hinc definitio optima huius febris, quæ dicit, febrem quidem continuam esse, sed nulli continuarum adstrictam, cum sæpe sub specie continuarum subintrantium *inuadat*, & redoleat naturam intermittentium, vt melius fallat. *Quæ enim Tertianæ modum febres referunt, & anxiæ sunt, malignæ*: aiebat Hippocrates lib. 1. Coac. text. 34.

IV.

In hoc consistere morbi malignitatem, & versipellem huius febris naturam insinuat eleganter Bassianus Landus in Iatrologia: si quidem per initia medico facilis se malignus morbus præbet, sed

progreſſu temporis virus alit, & clandeſtinis inſidijs oppugnat, & nullum de ſe prius iudicium fieri permittit, quam exitium parauerit, & oppreſſerit, vſque adeo incerta eius iudicia ſunt, vt dum ægro anima eſt, magnam plerumque ſpem medico faciat: quandoquidem etſi coctionem oſtendat humor, tamen febrem fouet, & præter cuidentem rationem producit, adeo vt natura eius, & effectus nequeant ad manifeſtas cauſas redigi.

V.

Germinauit hæc febris iam iam demortua, & nomine etiam ferè obliterato, circa annum 1557. maximam Europæ partem depopulando: refrixiſſe poſtmodum, ac mitigari viſa eſt, ad annum vſque

1570.

1570. post quem rursus (transacto bello Granatensi, acerbissima as resumpsit vires, & ad hominum perniciem atrocius repullulauit:

VI.

Nec antiquis certe fuit ignota, cum huius meminerit Hippocrates lib. 2. Popul. Sect. 3. Text. 3. in hunc modum. *Fiebant autem in febribus æstiuis circa 7. 8. & 9. diem asperitudines in cute miliaceæ, culicum morsibus maximè similes, non valde pruriginosæ.*

Aetius pariter Tetrab. 2. sect. 1. c. 129. punctiformem febrem cognouisse videtur, cum in principio inquit. *Febrium non quidem simpliciorum, sed à prauis humoribus ortarum, circa totum corpus exoriuntur vibices similes culicum morsibus.* Quod quidem euiden-

tius ab Actuario expressum dixerim, cum ait lib. 1. c. 23 *Multa variaq; exanthematum, & papularum genera in cute efflorescunt: siquidem alijs veluti si à culicibus essent demorsi, aut ab vrticis vulnerati, maculæ circa cutem exoriuntur, nonnullis rubræ aut purpureæ, nonnullis nigræ emergunt, quales quotidie ex pulicum cimicumque morsibus apparent: cæterum ex rubentibus deteriores sunt purpureæ, omnium pessimæ nigræ.* Neque harum macularum notitia caruisse Celsum, videntur asserere hæc verba. *Cum modo circa totum corpus, modo secundum singulas eius particulas pustulæ quædam nascuntur, similes his, quæ ex vrtica verberante efficiuntur, quæ à Græcis exanthemata vocantur.* lib 5 c. 28

VII.

Vt varia huius febris est natura, sic plura, & diuersa sortitur nomina. Denominatur stigmatica, punctícularis, pulicaris, lenticularis, purputata, vnde Galli vocant *la pourpre*, Hispani *Tabardiglio. & pulgon*, Itali *petecchie*, quæ Germani *Fleckfeber*, omnia ad maculatum rationem, quæa diuersorum insectorum morsibus oriuntur, spectant.

Inter pulicarem tamen, & culicularem, ingentem aliqui notant differentiam: ego non adeo insignem. Pulicaris nullam prorsus eleuationem in cute producit; culicularis, aliquam, qualem Italorum vulgus vocat *tacche*, aut etiã vesiculæ quædam, seu hydatides, quæ non carent sua malignitate.

Accipite distinctionem ex signis essentialibus febris acutæ: hæc quæstionem nominis potius redolent.

VIII.

Quod hæc febris de genere sit pestilentium, colligitur ex Galeno lib. de cibis boni, & mali succi. & 1. de diff. feb. c. 3. non est tamen pestilens absolute, quia ab aere solum non trahit originem, sed ab humoribus præcipuè ad putredinem paratis: antea tamen postulat inæqualem, intemperatam, aut morbidam illam aeris conditionem, quæ popularium, & periculosorum morborum causa existit.

IX.

Differt à vera pestilenti, quia in pestilenti corrumpitur calor, vt in ve-

veneno: in hac vero alteratur, qua ratione plures ex ea euadunt, licet quid amplius quam alterationem simplicem requirat.

X.

Præterea differunt, quia pestilens contagium primum obsidet cordis substantiam, deinde contenta, & inde in pestilenti febre anhelitus grauiter olet: maligna vero nonnisi humores vasorum, maiorum tamen, & eorum quæ viciniora cordi sunt, propiora tamen quam in alijs communibus putridis, & sordidiori putredinis genere: quam putredinem ostendit sanguis per venæ sectionem extractus, primo quidem bonus (maioris discriminis signum vt dicetur) secundo & tertio malus, & putridus.

XI.

Differunt præterea, quia cum vere peſtilens ſimpliciter, & celeriter ſit contagioſa, fomitem tamen ad tempus relinquit, & ad diſtans ſuum venenum tranſmittit: maligna vero non ſic, ſed tantū per cōtrectationem, & familiarem contactum, & illis tantum, qui illi diſpoſitum apparatum præbent.

XII.

Diſſident deniq; ,quod vere peſtilentes placidæ, & mites ſemper ſunt à principio: malignæ vero non ſemper, ſed quandoque cum ſæuiſſimis ingruunt ſymptomatibus: aliquando tamen placidæ, more peſtilentium, ita vt medicis plerumque illudant, ſpectantibus paulo poſt morbi ſolutionem.

Item

XIII.

Item pestilentes omnia corpora eodem modo apprehendunt, & eadem habent symptomata: maligna febris variegata, nec vllum habet pathognomonicum, & certum signum, propter tam varium & diuersum morbi apparatum.

XIV.

Differt à putridis communibus, modo putredinis sordidiori, & corruptiori, sæuioribus symptomatibus, & signorum malitia, ita vt non dometur coctione corruptio à praua putredine orta. quo fit, vt coctionibus quodammodo apparentibus, non pauci tempore crisis succumbant.

Cor, & spiritus sæuius afficiun-

tur: quod ostendit virium imbecillitas, & prostratio, quod alijs non ita accidere solet à principio.

XV.

In alijs putridis aliquis quatuor humorum præcipue putret: hac vero, etsi præcipuam analogiam ad sanguinem sortiatur, omnes putrent in minera, & foco putredinis sordida quadam, & excellenti putredine, quæ in sanguine extracto, iam coagulato, per medium diuiso non obscure apparebit: quin & hoc admirabile obseruatur, quod nuper ars microscopica detexit, vermibus scatere minutissimis sanguinem malignè febricitantium: quod asserente eruditissimo Kirchero aliquoties experti sumus; quod nec Plinium omniscium latuit, dicentem Lib. 26. c. 13. *Nascuntur in sanguine bo-*

hominis animantia exesura corpus: vt in lacte nutricum tali febre correptarum. In quem sensum Galen. lib. de præsag. ex puls. cap. 4. & lib. 3. popul. parte 3. com. 57. quasdam esse febres pestilentes sine peste dicit, idest, sine manifesta aeris contagione.

FEBRIS PVLICARIS CAVSÆ.

Sectio II.

Quo tempore magis sæuiat, & quos sæuius adoriatur.

I.

AEr duobus modis vitiatur, iuxta qualitates, & secundum totam eius substantiam.

Pri-

Primum vitium morbos efficit populares, & communes.

Secundum morbos peſtilentes, qui tamen vtramq; requirunt alterationem, & manifeſtam, & quæ in tota ſubſtantia ſit, medicis occultam appellatam: illam vt corpora reddit paratiſſima ad quodcunque malignum, & peſtilens contagium: hanc, vt illud perficiat, & excellentem, ſordidam, contagioſam putredinem peſtilentum ſobolem inducat.

II.

Febris hæc pulicaris ortum habuit ab aere aliquid amplius obtinente præter primarum qualitatum alterationem, quod etiam occultum appellamus, redolens naturam ſubſtantiæ aeris leuiter mutatæ: ex qua ſane mutatione ma-

li-

lignas has & pestilentibus finitimas febres fieri compertum est, vt ab annis quibus grassari cœpit, in posterum, licet mitius cum aere paulo magis, aut paulo minus affecto perseueranerit, ea corpora ad illam magis disposita corripiens.

III.

Nec solum à prauis astrorum aspectibus, aut maligno syderum influxu vitiatur aer: sed euidentius vliginosæ paludes; cloacæ, sentinæ, publica fames, ob praua alimenta, cadauera non humata, locustæ aquis iectæ, olera putrefacta, vapor cannabis & coriorum quando pigrioribus aquis macerantur, vapor exitialis in specubus, & visceribus terræ latitans, dum erumpit: tandem frequens adhęsus & familiare commercium cum

his

his qui febre hac sunt correpti, valde frequenter aerem inquinant, ac inficiunt.

IV.

Alia huius mali causa, est morbosa corporum dispositio, & prauus humorum apparatus, ex prauo vitæ & victus instituto progenitus: hæc multiformia & diuersa nata est inducere symptomata, propter diuersam & multiformem apparatus morbosi speciem. Quandoq; enim seminarium illud, quod cuti primum, & venulis exiguis adhærescens, ad viscera vsque per maiores dilatatur, & penetrat, inuenit dispositionem in sanguine, quandoque in bile, nunc in pituita, in melancholia sæpe propagatur, & pro succi infecti natura, iam synochus, iam causon, iam tertiana, iam vero & pituitam, & melancholiam re-

referentes febres accenduntur: inficit, & aliquando etiam ichores: quin & in arterijs ſpirituoſum ſanguinem, vnde febres ſemper aſſiduæ, quæ tamen licet variæ ſint, vnus nihilominus morbus eſt, vnitatemq; ex vnitate ſeminariorum habet, quæ vna ſunt.

V.

In quibus craſſiores ſucci malignè inficiuntur, hoc vnum valdè commune eſt, & obſeruatione dignum, quod ſcilicet, vt plurimũ moueatur morbus *per pares*, maiori certè periculo, & ægrotantium certamine: vt in Philiſco, & mille alijs apud Hipp. videre eſt Lib. 1. Epid. ſect. 3. ægroto 1. Figura morbi tunc procedit in hunc modum: acceſſio quæ primo die incipit, ſi non terminetur eodem ipſo die, ſem-

Biblioteka Uniwersytecka Toruń

ſemper creſcit vſque ad finem ſecundæ diei, ita vt in ſecundam diem acerbiſſima totius periodi pars incidat, per pares progredietur morbus: eodem enim modo fient ſequentes periodi, vt ex primo, & ſecundo, ita ex tertio, & quarto, & quinto, & ſexto. Quo fit, vt tanto deterius ſit moueri acutum morbum per pares, quanto deterius eſt, quamcumque exacerbationem eſſe longiorem: cauſa enim arguitur contumaciſſima, & ex multa materia dependens, vnde vix tales morbi poſsũt eſſe breues, niſi ſimul ſint valdè maligni, aut rarum aliquid circa euacuationes contingat: quale Abderitano Pericli lib. 3. Epid. ſect. 3. ægrot. 6.

VI.

Præterea cum impares ſint magis decretorij, in decretorijs autem die-

diebus facultates naturales multum iuuentur ab astris, fit, vt qui habent accessiones per pares, minùs adiuti, deterius ferant. Vt autem diebus paribus deterius habere malum est, ita quarto die grauissimum; quia hic idem est par, & decretorius. Grauissimum autem esse diebus decretorijs habere deterius, docuit sæpe Hipp. expressè vero colligitur ex descriptione tempestatis secundæ in Thaslo. lib. 1. Epid. sect. 2. text. 4. & *ingrauescentes diebus decretorijs.*

VII.

Furit in omnes cacoetes iste morbus, frequentius latrante Syrio, sed hyeme atrocius; iuuenes robustiores præsertim inuadens, parcens nemini, si cum causone hominem adoriatur; quod Gal. 11. meth.

meth. cap. 9. minabatur dicens: *Quandoquidem nulla aut pauca salutis habenda spes videtur, quibus in febre vstoria ignis intus, vt vri videantur, accenditur, & frigidum præterea fuerit ambiens.* & lib. de libris prop. de peste quæ Romam inuasit differens, inquit: *Non tam homines ob eius vehementiam mori, quam quod media hyeme sæuiret.*

IIX.

Hinc ex procatarcticis causis frequentissima vniuersæ cutis constipatio, quæ putredines alit, & auget. Veronæ nulla frequentior, propter aeris insignem subtilitatem simul, & frigiditatem, qui si prauo miasmate, & tempestatum præcedentium inæquali discrasia inquinetur, leuiter disposita corpora facile fœdat ac inficit. Ne-

que

que à principio externo, ab aere aimitum miasmatibus fœdato semper oriri lethifera ista semina-tia existimetis : solent namque sporadice apparere istæ febres, in optima etiam aeris constitutione absque vlla occasione externi contagij, & si mediante quodammodo aere transitus fiat de vno in alios, per contactum scilicet, & commercium familiare, vt diximus. A principio interno nihil vetat quin ex morbosi apparatus dispositione talis putredinis gradus excitetur, qui malignas istas maculas præ se ferat, & febrem omnibus numeris petechialem : non secus ac rabiosi canis, & tarantulæ, & aliorum venenorum symptomata, absq; cane & tarantula, a sola humorum putredine nata, obseruauimus, illum gradū veneni Napelleum, animalis vegetabilis, aut

Mineralis, ad vnguem attingente putredine:

IX.

Duplex igitur morbosus apparatus huius febris causa existit, alter corporis, alter humorum: qualis a Galeno lib. 1. de differentijs feb. cap. 4. de febre pestilenti describitur. Hic à prauis cibis, & vita desidiosa, & erroribus in victu contrahitur: ille in ægrotantis propria temperie & constitutione, pororum ac meatuum corporis proportione, laxitate aut densitate nimia consistit: hic absque alio, vix Pulicarem febrem concipit, sed potius veram pestilentem: ille semper requiritur in febre puncticulari, & cum isto facilius vel difficilius eam admittit.

SIGNA FEBRIS PVNTICVLARIS.

Sectio III.

Describuntur signa, secundum humoris ideam: substantialiter inhærentia; mox apparentia, ex actionibus læsis desumpta.

I.

MVlta propemodum signa sunt huius febris, at nullum expresse pathognomonicum, sed multorum syndrome requiritur, licet adeo fallax sit huius morbi natura, vt cæteris signis circa omnes facultates nihil mali ostendentibus, vnum vel minimum quan-

quandoque, quod ſæpe contemnitur, malitiam indicat. Quapropter nihil contemnere iubebat. Hipp. In his aſſueſcite tyrones difficillimæ à principio malignitatis cognitioni: ob quam appoſitiſſime Galenus morborum inciptentium naturam herbis nuper pullulantibus aſſimilauit, quas non niſi plurimum expertus, & herbarum peritiſſimus agricola cognoſcere poſſit, lib. 2. Criſium c. 2. & lib. 3. prolirhet. Text. 1. Tom. 1.

II.

Vt hæc febris per omnes humores diuagari ſolet, ſigna paritet exerit vnicuique humori propria & quia ſimul in maſſa ſanguine omnes computreſcere ſolent, hinc ſignorum confuſio, & inconſtantia: Sangnineę pulicaris ſigna

ſunt

sunt vt plurimum, lassitudo, grauitas, dotsi dolor, faciei, & oculorum rubor, lachrymæ, capitis dolor grauans, pulsus magni, pectoris dolor, lumborum dolor, delirium, vigilia, vrinæ rubræ, maculæ rubræ.

III.

Vbi vero bilioſior fuerit ſanguis, vel inficitur a ſeminarijs, in his iſta quidem eueniunt; ardor externus, ſitis inexhauſta, laſſitudo vlceroſa, anxietas, inquietudo, loquacitas, linguæ aſperitas, nigredo, & alia.

IV.

Pariter vero infecta cum ſanguine pituita, ſomnolentos, & graues reddit ægrotantes, & quadam tenus morosos, lentores circa den-

tes ſunt, non ſiſtunt, nec inquieti plurimum videntur.

V.

Vſto denique, ac amplius aſſato ſanguine, melancholica fiunt deliria, ſomni conturbati, timores, triſtitiæ, taciturnitas, ad parietem conuerſio, maculæ in purpureum vergentes, liuidæ, nigræ.

VI.

Sed generalia nimis ſunt iſta: notate alium ſignorum ordinem, & cum præcedentibus quaſi alphabetica combinatione coniungite: vt enim ex ſimplicium elementorum varia adaptatione, infinitæ propemodum oriuntur ſyllabarum differentiæ, ſic ex diuerſo ſignorum concurſu, diuerſa, & fe-

re

re inexplicabilis morbosi appara-
tus differentia expiscanda.

VII.

Facultates læsæ vobis signa da-
bunt. Animalis, deliria, vigilias, co-
mata, difficiles anhelitus, surdita-
tes, rigores, horrores, tremores, con-
vulsiones, dentium stridores, ani-
mi deliquia, inappetentias, dolores
in aliqua corporis parte fixos, brevi
quandoque euanescentes, iacta-
tiones, inquietudines:

VIII.

Vitalis, pulsus varios, crebros,
paruos, minimos, intercidentes;
palpitationes, syncopes.

IX.

Naturalis, narium irritam hæ-
morrhagiam, stillam sanguinis,

vomitum bilis pallidæ, flauæ, vitellinæ, porraceæ, rubræ, æruginеæ: diarthœam, choleram, dyſenteriam, ſudores, maculas, veſiculas, tanquam ab igne, & alia.

X.

Sed horum quædam breuiter examinentur, & deſumantur primum ab his quæ ſubſtantialiter inhærent, ſitq; caloris febrilis ratio, & modus: nam ſæpius initio mitis apparet (*Paruæ Febres quandoque valde malignæ*, dicebat Hippocrates) qui tamen prauis concomitatur accidentibus, dolore ſyncipitis acuto, nauſea, vomitu, vigilia, inquietudine & alijs, quæ non conueniunt paruæ febri: ex iſta inæqualitate ſuſpicemini latentem fraudem:

Cau-

XI.

Cauſæ propter quas calor ſentitur ad tactum mitis, & febris parua, & ſepulta, (vt loquitur Auicenna) iſtæ ſunt : retroceſſus ſpirituum ad viſcera, quæ maius in hac febre diſpendium patiuntur : humorum craſſities, ob aduſtionem, aut craſſæ pituitæ miſturam : deniq; quia in hac febre ſæpe venenum, & malitia magis vigent, quam putredo, quia ſi maior ſit putredo, quam venenum, ſtatim à principio vehemens apparet febris.

XII.

Secundum in hoc genere ſignum eſt RIGOR, a quo vt plurimum incipiunt hæ febres malignæ pulicares, non quod ſint de

genere intermittentium (quod aliqui perperam cogitant) sed vere continuæ malignæ , quibus similiter contingit incipere à rigore, & secundo, aut tertio die sequentibus, mentiri periodicas duplicium tertianarum subintrantium refrigerationes : vt contigit Pythioni in Tha. lib. 3. epid. sect. 3. ægr. 3. tum quia maligna qualitas rigores intempestiuos, vt assium quemcumq; absessum facere potest ; quando vt ait Galenus lib. 1. epid. com. 2. t. 75. ex venis, & interioribus visceribus, ad exteriores musculos humores acres perferuntur, vt solet per lassitudines, & alias ingentes causas procatarcticas, quæ vt istas febres mali moris, sic istos fallaces rigores valent efficere ; tum quia in hac febre ex cute potius, & peripheria corporis ad venas maiores, & vi-

sce-

scera interna facile transferuntur maligna seminaria, quæ acri, & venenata qualitate rigores excitant.

XIII.

Alterum ex præstantissimis signis a facultatis lesione sumptum, PVLSVS est, qui apparet frequens, paruus, debilis, & inæqualis, licet magis circa macularum exitum, quandoque connaturalis, aut parum ab eo diuersus, ex inæquali nimirum cordis affectu, vt ait Galenus, lib. 4. de præsag. ex pulsibus cap. 4. quod tandem monet inquietudo, anxietas, inordinati sudores, nullum leuamen, & alia, quæ non consistunt cum pulsu bono.

XIV.

Apparet sæpissime pulsus ab initio formicanti similis, varius, &

intercidens, ob copiam venenoſæ materiæ, aut virium defectum. A plenitudine ſola quæ caret malignitate non poteſt produci talis pulſuum ataxia, inæqualitatem tantum efficit, quæ inter magnitudinem, & paruitatem reperitur; maligna vero plenitudo omnimodam inæqualitatem, & ordinis perturbationem parit.

XV.

In iſta rerum confuſione ſæpius eluceſcit fallax ſpes, ſit pulſus optimo ſimilis: non eſt fidendum ijs quæ præter rationem eueniunt. Ad primum morbi inſultum cor reſiſtit, & a ſe virus expellit, ad ſecundum, aut tertium ſuccumbere cogitur: fit etiam tranſeunte putredine ab humoribus in ſolidam cordis ſubſtantiam, facto

iam

iam in habitu morbo, qui prius erat in dispositione. In simili rerum dolosa quiete, attendite ad singula signa, quæ in hac febre solent obseruari, nec minimum contemnatur: ad respirationem præcipue, quæ si forsan fuerit frigida, aut fœtida, aut inæqualis, breui reuersuras angustias præsagit. Estote cauti in prognosticando.

XVI.

Aliud signum eorum quæ sunt in venis præstantissimum, & a naturali facultate desumptum, est VRINA, quæ vt in omnibus febribus, in hac præsertim venit attentius consideranda: non minorem etenim inconstantiam, & fallacem varietatem sequitur, quàm pulsus. Bona, & simillima sanorum vrinis in principio perseue-

rans, malignitatem febris indigitat, quia venenosa qualitas, & interior est, & paulatim agit citra manifestam humorum perturbationem: maius enim est venenum, quod clam operatur, spiritus forsan inuadendo, diuersa, & grauiora efficiendo accidentia, quàm per vrinas demonstrari queant, quam putredo quæ vrinam immutat.

XVII.

Hoc est, quod acutissimus Argenterius sæpe obseruauerat, cum perfectis nimirum coctionis indicijs homines in febribus malignis perijsse: quod fit exigua in illis excitata putredine, & propterea exiguo calore in illis accenso, qui concoctionem turbare non potest. Itaq; tales perire, non ob febris vehementiam, sed ob malignitatem,

tem, quæ pulsus, appetentiamque primùm perdit, & paulatim alias actiones inuadit. Hæc ille commvlt. ad lib. 2. Gal. art. medic.

XVIII.

Sed frequentius, non tamen necessariò vt aliqui perperam putarunt, mox apparet crassa, turbida, subiugalis dum meiitur, & intensioris coloris, conturbatum, & crassum habens sedimentum; arguit hęc maximam putredinem, effervescentiam, & conturbationem humorum; item maximam facultatis naturalis impotentiam, præsertim si igne non clarescat, aut post tempus subsidentiam non faciat. Hoc experimento vel ingentem humorum malignam ebullitionem, vel se exonerantis naturę robur cognoscens, si expulsionem

conuenientem perfecerit, sin minus, irritum conatum, qui non minus prauus esse solet.

XIX.

Hinc post prauam huiusmodi vrinæ conditionem, eiusdem suppressio aut diminutio subsequi solet, malitiam, prauum morbi morem ostendens, succos in nobiliorem partem detrudentem, aut naturæ ingentem iacturam: nisi ea sequantur vtilia, quæ ab Hippocrate & Galen. adnotantur lib. 6. epid. com. 1. Text. 10: *Ante vigorem suppressiones vrinarum, si ex vtilibus fuerint, & alnus processerit & somni adsint. Forte autem & figura febris, forte autem & quæ ex lassitudinibus.* Sed rarò in febre puncticulari hæc vtilia sequuntur, nimis enim lacessit a veneno natura,

tura, si ab vno incœpto cessauerit, aliam euacuationem criticè, & laudabiliter vix perficiet.

XX.

Crudæ etiam, & decoloresab initio apparentes, si quid aliud coniungatur prauorum signorum, non minus hanc febrem ostendunt: quando quidem paulo post incipiunt apparere subiugales, non incipit tunc pulicaris febris, sed talis a principio fuit, licet feruorem suum statim non ostenderit: seminaria enim contagionis nondum ad viscera se receperant, post quam vero interiora attingunt, & in viscera penetrarunt, ob diutinum feruorem, & agitationem, multos ac turgidos flatus eleuantem, vrinarum perturbatio sequitur.

Præ-

XXI.

Præterea dum tales sunt, quandoque subito, & derepente solent apparere coctæ. An huic inconstantiæ fides erit adhibenda? Minime certe, immo maligni morbi certissimum indicium: paulo post enim recrudescunt, παραλόγως coquuntur, nullis antegressis coctionis subobscuræ signis. Certum enim est, in morbis valde malignis, & sub mortem natura cessante, aut extremos conatus proferente, aut morbo in aliqua præcipua parte, & extra venas existente, vrinas apparere vel melioris coloris, vt in Philisco, *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *ægr.* 1. vel cum enæoremate, aut nebula laudabili, aut hypostasi æquali, & alba, vt in Sileno, *lib.* 1. *epid. sect.* 3. *ægr.* 2. a colliqua-

tio-

tione, quæ proxime accedit ad veram hypostasim, aut humoris alimentarij effusione natura resoluta, vel denique tantula parte materiæ cocta, cum reliqua vel contumax, vel maligna sit, id accidere? Sed fallacis huius coctionis dolum facile prodet, præter nullum leuamen, odor deprauatus ipsius vrinæ, qui cum bona coctione non congruit, immo sordidam putredinem demonstrat, & extremam perniciem minatur.

XXII.

Inter mox apparentia vnum adhuc est in vrinis signum valde horrendum, & quod huius febris malignam, & dissoluentem putredinem indicat, colliquamentum nimirum supernatans vrinis, pingue aut oleosum, aranearum telis simi-

simile, iridis colores repræsentans, vt in aquis vliginosis, & stagnantibus, aut melius in collis columbarum obseruamus: quod in Patre Balzio vidistis. Hoc malignam, & venenosam putredinem (nam in ijs quibus venenum exhibitum est, pariter conspici solet,) indicat: illud calorem exurentem, & colliquantem corporis substantiam. Itaque si substantia hominis ex colliquatione defluens tenuis sit in venis, & renes valeant, ad vrinas conuertitur: sin crassior, & qualis a renibus trahi nequeat, tota in ventrem, & intestina necessario confluit, & deiectione redditur, vt plurimum fœtidissima, & non raro pingui, & oleosa, ex qua sordida humorum corruptela arguitur.

XXIII.

E confluxu isto humorum in ven-

ventrem, oriuntur alia signa, quæ hanc febrem non obscure indicabunt. VOMITVS nempe, cibi fastidium, sitis ingens, & linguæ ariditas: solent ista caulones, & alias febres comitari; sed vomitus frequentes, exigui, morbum non soluentes, vt quæcumque alia excreta semirepentia, malitiam præ se ferunt, & facultatis impotentiam: vt lib. 3. Coac. sect. 3. t. 8. Quod certe in eis, quæ in febre pulicari fiunt vacuationibus sæpe vidistis, ac multo quidem melius, quando præter succi quantitatem paruam, prauitas accedit, vt bili vitellinæ, fuluæ, porraceæ, aut æruginosæ, quę per suos gradus ingentem humorum aduſtionem significant, ac proinde morbi malignitatem: vt l. 2. Coac. t. 26. Hippocrates, eò magis, si in progressu morbi fiant; vt testatur Simonis

Hi-

Hiſtoria. 6. epid: ſect. 2. Text. 23:

XXIV.

Ob eundem ſuccorum in ventrem confluxum, & malignam eorundem circa os, & corpus ventriculi putreſcentiam, prodit in hac febre ingens CIBI FASTIDIVM, & abominatio ciborum inſeparabilis: quod procedit non ſolum ex febrili calore, ſed ex maligno, & halitu peſtilenti vires ſentientes illius partis adeo proſternente, vt ſi etiam vim ſibi faciant ægrotantes, non poſſint, aut protinus nauſea, aut vomitu frequentiſſimis infeſtentur, agitata magis per cibum ſordida putredine.

XXV.

SITIS INGENS, & febri

brili calori improportionata, non ſolum exurentem calorem arguit, ſed potius malignam huius febris putredinem circa ventrem fieri: quandoque pauca aut nulla ſitis cum exuſtione excellenti. Adeo gaudet hoc monſtrum ſymptomatum diſparitate, & nullum certe magis pathognomonicum huius mali ſignum eſt, quàm nullam in ſignis ſeruare rationem, nullam concordantiam aut ordinem. Dum igitur longe a venrre humores putrent, aut frigidam craſſamque naturam ſortiuntur, aut maior putredo prope cor viget, moderatior ſitis, quamuis exuri videantur, frigido aere magis recreantur, quàm potu: quod dicebat Hippocrates, & *ventum cum potu frigido introducere*, 6. epid. ſect. 3. text. 29.

Sed

XXVI.

Sed cum ingenti ista siti, & irreparabili ciborum auersione, hoc vnum sæpe coniungitur, quod nullo ferè excepto, in cunctis febre puncticulari correptis semper hactenus obseruaui, ardentissimum vini desiderium, vt continuo vinum expostulantes, & medicos, & assistentes lacessant, viri alioqui temperantes, & modesti. Prouenit hoc mehercle a corde lacessito, & prauis ac venenatis vaporibus oppresso, requirente auxilium, quod ipsa natura duce cognoscitur ad regenerandos deperditos, ac malitia consumptos spiritus aptissimum. Nec minus diligenter hoc annotauit Iordanus Tract. 1. c. 19. de pestis phænomenis, dicens: *Neque nullus visus morbus, qui tan-*

tam

tam vini hauriendi voluptatem desiderio inexplebili coniunctam, ac iste introduxisset, ita vt præcipites cum vino necem appetere, prudentes, & scientes viderint.

XXVIII.

LINGVÆ ARIDITAS, nigredo, & scabrities, quæ dictam a pectore sitim comitantur, inter præcipua huius febris signa iure merito habentur, tum quod lingua lotium significet, & pariter adustionem ingentem succorum in venis ostendat, tum quod, dum est sine siti, malignam qualitatem vim oris ventriculi, & faucium sentientem ademisse, cum non parua animalis facultatis iactura, argumento sit. Hinc taliter affecti iam non sitiunt, aut non sentiunt se sitire, sed dum iam mens in-

incipit fatiſcere, ſentiunt quidem ſe circa fauces quaſi funibus propter nimiam ſiccitatem trahi, ac diuelli. *His in morte* (ait Hippocr. lib. 2. ſec. 2. Coac. tex. 46.) *Spiritus quaſi trahente aliquo redditur.* Quod in monacho in carceribus moriente obſeruaſtis.

XXVIII.

SVDORES inter excrementa ſi a principio parce proſiliant, ſi ſint frequentes, inordinati, varij, fœtidi, huius febris certe malignitatem ſignificant, quæ naturam opprimat, irritet, ac impotentem reddat: laſſata namq;, & defeſſa a lucta cum immani, & venefico hoſte, per quam ſudores huiuſmodi ex defatigatione prorumpunt, moleſtius deinceps & difficilius nouum humoris maligni ir-

ruen-

ruentis insultum sustinet, vnde reliquum est vt ferme, & suo modo pestilenti hydropico succumbat.

XXIX.

Pari euacuationum semirepentium, & imperfectarum conditione STILLA SANGVINIS ferinam huius morbi naturam ostendit: quod signum non solum in hac febre, sed in reliquis ardentibus, & malignis ab Hippocrate obseruatur lib. 3. epid. com. 33. & 1. epid. com. 2. 26. Nec stillam adeò strictè, & scrupulosè quæratis, sæpe ad quatuor, aut quinque vncias, repetitis conatibus, numquam perfectis, expelluntur: quod nuper in Patre Clodio obseruastis. oh! quoties Hippocrates *Pauca apparere, veluti stillas sanguinis, vrinam, vomitum, & excrementa*

alui

alui, omnino malignum esse dixit l. 3. *Coac. s.* 3. 81. *duorum enim alterum subeunt, vel quod non queant ob copiam tolerari, vel quod imbecillitatem ostendant, quæ quidem proponit superflua excernere, sed nequit.* Lib. 4. acut. 67.

XXX.

Frequens HORRIPILLATIO ἐφιδρωσιν dictam æmulatur, immo cum ea sæpe coniungitur. *Qui frequentibus e dorso, leuibusq; horroribus desudant, difficili morbo laborant,* 2. *coac.* 8. ait Hippocrates. Hoc symptoma frequens, inordinatum, & adhuc vigente morbo perseuerans, fit iugiter ex halitibus venenosis a sordida putredine elatis, qui tam sunt mordaces, & a natura alieni, vt partes sentientes eos omnino auer-

sent,

sentur ac renuant, & tanquã venenum expellere conentur; quod in alijs febribus putridis rarò contingit, in quibus intensio caloris viget: in hac malitia calorem superat, & venenosi ate potius peccant succi, quam putredine. Quid si a seminarijs se per poros cutis insinuantibus, & natura recalcitrante fiant? Quidni? caueteq horrificam febrem iudicetis, aut illis apparentibus, febrem continuam solutam ir pronuncietis.

XXXI.

Vltimum in naturali facultate signum, MACVLAE sunt, pulicum morsibus similes, a maligna sanguinis efferuescentia, & succorum agitatione facta nihil cutem, in tumorem eleuantes, sed veluti si quis atramenti puncto carnem in-

ficiat, tempore æstiuo, & stragulis aut cubili non adeo mundis, facile est decipi pulicum morsibus: non enim sufficiunt symptomata alia quæ febrem conuincant, etiam accidentibus prauis correptos possunt pulices pungere. Præterea tempore exitus macularum, colore, & numero, multa rimantur, quæ faciunt ad prognosim. Quapropter diligenter maculæ examinandæ: farina lupinorum aceto, aut oxymelite subacta, illitaque statim pulicum puncturas delet, non sic pestilentes peticulas, quæ vt à principio interno emanantes, radicitus inhæreat, nec cedunt experimento:

XXXII.

Hæc igitur in hac febre pernicioſa a principio efflorescunt, se quar-

quarto, quinto, sexto, septimo, aut quod tardius, nono, aut 11. appa-rent, & potissimum in dorso, potius quam in thorace, quamuis primaria sit cordis affectio: ratio est, quia ductus arteriæ aortæ, & venæ cauæ dorso inhærent: quapropter facile in dorsum prosilit damnum quodvis in corde, & eiusdem vasculis hærens: In alijs febribus solent obseruari, sed mitioribus stipatæ symptomatis, sæpe cum synocho, non raro cum tertianis tam continuis, quam intermittentibus, immo quidem citra vllam aliquando febrem, sese exonerante natura. Quapropter, nolite absolutum febris malignæ pathognomonicum hoc signum pronunciare, & in discernendis malignis maculis a benignioribus estote prudentes.

XXXIII.

Nec tamen semper epigenomena apparent isthæc exanthemata, solent quandoque morbum prænunciare, præsertim si apparentia breui euanescant: vt contigit Euphranoris filio 5. epid. text. 92. *cui exanthemata velut morsus culicum, exiguum autem tempus: postridie febricitauit*. Vt enim succedentia, malignitatem significant, præcedentia, ingentes morbosos apparatus ostendunt, & ad ingentes morbos dispositionem non leuem, cò magis si breui euanescentia, non paulatim resolutum, quod in cutem emerserat, sed potius in altum reconditum esse indigitent.

Quod

XXXIV.

Quod vero ad rationem inseparabilis signi magis accedit, hoc vnum est, ex læsa facultate animali desumptum: INQVIETVDO, & iactatio per lectum irrequieta, cum anxietate quandoq; ,& morsu oris ventriculi: quæ grauissima symptomata vnam eandemque causam habent, & vnicè hanc febrem mali moris detegunt, flauam scilicet, mordentem atque irritantem bilem in ventriculi tunicis contentam: attamen etsi omnis generis lassitudinibus defatigati conspiciantur miseri languentes, rationem tamen reddere nequeunt doloris sui, quia maligna causa citra manifestam qualitatem agit.

XXXV.

SYNCIPITIS etiam dolor acutus, & molestus præbet huius febris indicium, eo magis, si aliud quod vis malignum signum consocietur. Illum efficiunt maligni halitus, etiam a morbi principio caput petentes, tanquam à prava, & maligna putredine elevati, ideoque ægrum reddentes mœstum, ac vocem deficientem, propter eam quam ipsi inferunt imbecillitatem.

XXXVI.

Ab eadem causa, bile scilicet ad caput evolante, aut malignis, ab ea malignè putrescente halitibus, fiunt INTENSAE VIGILIAE, quæ in hac febre per totum accessio-

sionis decursum perseuerant, cum in alijs putridis solum crescente, aut vigente febre appareant. Præterea si aliquando somno corripiuntur, turbulentus est, & varijs, ac interturbatis insomnijs, ac phantasmatibus plenus, ab eo male se habent, & laboriose expergiscuntur, semidelirij, etiam a principio morbi. Decipiuntur aliqui, cum videant ægros statim respirescentes, dum spirituum motu dissipatur caliginosus ille, & crassior halitus, existimantque ipsis hoc esse connaturale, & assuetum per somnos loqui. Caute, iam hoc non semel obseruastis, rimamini omnia, videte an intensius a somno febricitent, an sitiant, aut corpore toto doleant, ac confringantur.

XXXVII.

COMA non minus molestare solet hac febre correptos, quod etsi vt plurimum illam puncticulatem sequatur, quæ pituitæ copiam affert, attamen non minus in causone puncticulari obseruari solet: & sæpe tali ardenti febre maligne correpti visi sunt intensissime dormire: causam reddit Galenus lib. 1. protreth: com. 1. 18. exemplo nubium, & vaporum in sublimi macrocosmi condensatorum. *Nec enim (inquit) alienum a ratione videri potest, propter assiduitatem febris, ex eleuatis sursum flatibus, atque inibi densatis, & crassefactis, prolixiorem quandoque fieri somnum.*

Præ-

XXXVIII.

Præterea INSOLENS TRISTITIA ęgrotantes corripit, vt mœsti fiant, auersentur domesticos, interrogati tardius respondeant, conuertantur ad parietem; timor præterea ingens viros alioqui fortes viliter occupat. *Quod si ager timuerit, & tu time*, dicebat Auicenna. Discite hinc nihil contemnere: melancholica sunt ista, & humores praua putredine correptos indicant, halitibus a melancholico succo sordide putrescente mentem obtenebrantibus, timor, tristitia, dejectio animi, mentis inconstantia, & quandoque comitiales accessiones: melancholicos namque fieri epilepticos facile est, vt 6. epid. notauit Hippocrates.

XXXIX.

Quapropter non ſemel obſeruaui, præcedente nempe triſtitia, ſubſequi non ſolum capitis, ſed & brachij tremores, præcipuè dum pulſus tangitur: hoc quoties ita fit, ad ſuccum aliquem infectum, atque atrum, aut prauas quaſdam malignorum ſuccorum in cerebrum demandatas fuligines, a quibus ipſum afficiatur, & infirmum reddatur, referri ſine dubio poterit. *Qui ad manum reſiliunt, in malo ſunt*, dicebat Hippocrates in Coacis Lib. 2. tit. 24. prorrheth. appoſitiſſime motus iſtos σπασμοτρομώδεις appellans, ex tremore nimirum, & conuulſione mixtos.

Nec

XL.

Nec ANIMI DELIQVIVM sæpius per initia morbi eueniens huius febris naturam obscure demonstrat : hoc vt plurimum obseruatur primo morbi insultu, vel secunda die, aut tertia, præsertim dum surgunt ægrotantes vt egerant. Accidit hoc propter putrescentem, & acrem bilem a ventriculo ad cerebrum euaporantem, vel propter humorum in colo intestino malè putrescentium agitationem, quod quia præcordia, & stomachum perreptat, huic exquisitissimo sensu prædito facile passiones impertitur, vnde stomachico deliquio sæpe concidunt ægri, in sella aluum deijcientes : nam syncopen, quæ visceris vitio, & ratione fiat,

cordis, & arteriarum defectioni adscribitur. Si talē accidere contingat, grauius certe, & violentius iam malum est, & ferme pestilens, breui summos habens labores, & vitam tollens. Stomachica syncope licet non adeo violenta, æstuosam tamen, & malignam febrem vt plurimum sequitur: quod lib. 1: de arte cur. ad Glauc. c. 14. notauit Galenus, his verbis: *sed & in principijs febrium non admodum paucarum aduenit, & tunc præsertim, cum supra modum aut siccum, & squalidū aut plenum immoderatè corpus extiterit, & non numquam etiam simul cum febre incendente, atque maligna inuasit.*

XLI.

Denique non est prætermittendum signum, quod licet non adeo fre-

frequens accidat, est tamen magni momenti: quod aliquando obseruaui in principio huius febris non satis adhuc manifestæ: DOLOR grauis, vel acutus, quandoque stupiditas quædam, in aliqua corporis extrema parte, crure, tibia, pede, aut manu, breui disparens, malignitatem certe hoc arguit: qualem Caluo Lariſ. 3. epid. sec. 3. Ægrot. 5: Cui historiæ, admodũ simili, & pari accidentium, ac exitus infausta sorte nunc obseruastis sublatam nobilem Veronensem Margaretam Bezeliam. Dum hæc scribuntur, mulier quædam Montagnanæ hac febre corripitur, & statim secunda die incipit conqueri de acutissimo pollicis dextri pedis dolore, qui intra horas 24. ægrotantem de medio sustulit: oculati testes sunt medici eius loci peritissimi: collige causam ex text. 12.

sect. 1. libri 2. epid. *Temeni nepti ex morbo forti ad digitum decubuit, qui cum non sufficeret ad susceptandam recurrit, mortua est.*

XLII.

Sic in ijs, quibus olim exhibitum fuerat venenum, post multos annos derepente exortus dolor in parte aliqua extrema, homines extinxit: in hac febre pariter virus adhuc delitescens naturam in abscondito lacessit, irritat, prosternit, illa lacessita, irritata, iam facta impotens, conatui expellere ad ignobiliora loca, incipit motum, nec potis est perficere: semirepens pariter est ille motus, parterque infausti iudicij, & exitus infelicis: non sic in fine morbi, in quo dolores in aliqua parte fixi abscessuum vicem subeunt, bene, licet imperfecte iudicantium.

Non

XLIII.

Non ratò tamen in fine morbi adeo pertinaciter firmantur in membro aliquo acerbissimi dolores, vt neq; resolutionem, neque suppurationem attingentes peccantes succi, nullis quibuscunque demulceri queant anodynis, sed post longos cruciatus, vel in ossis corruptiones, vel in partis exuccam atrophiam misere terminentur: vt accidit fabro lignario, quem post febrem mali moris, quatuor mensibus continuis adeo ferox cephalea vexat, vt iam oculum alterum amiserit, nec immunis sit adhuc a suspicione corrupti cranij, aut vermis pernicioſi subtus latentis, à prauitate humoris geniti: quod sæpe visum est, & post Rhazim lib. 1. contin. c. 10. & Auicennam tract. 2. c.

2. c. 3 : cant. obſeruarunt Iouber-
tus, Hollerius, & Volcherus Coi-
ter, autores egregij.

XLIV.

Denique & hoc inter ſigna irritatę facultatis accipite, quam multis nimirum, ac varijs modis ſimulentare naturam a morbo ſe expedire. Vidiſtis me curantem mulierem, quæ octo diuerſis euacuationibus iudicata eſt; lunari ſcilicet, narium hæmorrhagia, puncticulis multis, & ſatis praui coloris, veſiculis quibuſdã carbunculorum naturam redolentibus, ſudoribus multis, largo deinde vrinæ fluxu, crebris, ac vitioſis deiectionibus: ac tandem parotidibus ſuppuratis 21. iudicata eſt, tot luctas egregie ſuſtinente natura. Sed videte quid ſcribat Galenus de bonit. ſucc. cap. 1. *Quibus* (ait) *nihil ho-*

rum

rum accidit interiere omnes, vt post modum sæpe obseruastis.

Plura adhuc possent recenseri signa huius truculentæ febris: sed ista sunt magis propria, quę tamen non oportet omnia simul adesse, sufficit medico aliqua conspicere, vt certam rei naturam vaticinetur.

DE SIGNIS PROGNOSTICIS FEBRIS PVNCTIGVLARIS.

Sectio IV.

I.

SIgnum vnum optimum non sufficit, etsi sit pulsus, aut vrina, modo alia pernicioſa existant.

Nec sat est vnum signum salubre esse, cæteris velut nihil boni, aut mali monstrantibus: quia

suspecta res est.

Nec sufficit plurima ex signis pravis delitescere, aliquibus adhuc perseverantibus: quin potius hoc perniciosum sæpe est, docet namque facultatem illa ex parte esse subversam potius, quam morbum debellatum.

II.

Vnum ex multis signis prauum in necando ægro plus virium habet, quam plura simul bona in eodem liberando: quamquam inter signa grauia, ac lethalia, multos euadere Hippocrates observat in Epidemijs, quibus tria hæc potissimum integra, & inculpata fuerunt, pulsus, respiratio, & appetentia, quod ad salutem magnam vim habere comperiantur, vt Galenus annotat in Historia Heropiti.

De-

III.

Denique in hac febre pulicari; & alijs pariter magnis, & suap è natura lethalibus morbis sic statuendum, vnicum prauum signum multis bonis anteponendum esse: vt in mitioribus morbis vnicum bonum multis prauis.

IV.

Prauum, & valde perniciosum signum est, *morbum moueri per pares*: quoniam infinita alia pernicioſiora signa secum affert, ex se tamen longitudinem significat; Quod si simul statim morbus habeat extremos labores, & videatur breui temporis spatio transigere velle sua tempora, insignem malignitatem, & ægrotantis ruinam.

VI.

Videte ſupra aphor. 7. ſectionis 2.

V.

Sed inter peſſima huius morbi auguria, & illud ponite (quod in praxi vobis nimium continget) *remedia à principio fuiſſe neglecta.* In acutis enim eadem die adhibenda: nam in talibus tardare malum eſſe, dicebat Hippocrates: vnde multo magis in venenoſis, & huiuſmodi peſtilentibus venire obſeruandum:

VI.

Primum ſignum ſit, *morbum eſſe adſtrictum, aut concluſum in principio, aut augmento, non malum: quæcumque enim concoqui oportet, occludi conuenit, contraria autem ſiccari, & aperire.* 6. epid. ſect.

sect. 2. t. 24. hoc significat naturam vincere, non irritatam morbi malitia, maxime si non adsit nota decubitus humorum ad caput.

Verum vigente morbo nihil excerni malum est.

VII.

Secundum signum, sudores, etiam si continui sint cum virium robore, sæpe solent morbum finire:

Qui vero alternis, & criticis diebus, non semper boni, quia crassities humorum remanens cum venenosa qualitate sæpè interimit.

Præterea si fuerint fœtidi, varij, inutiles, inordinati, frequentes, parce in principio morbi prosilientes, malum vt plurimum portendunt, vt ait Hipp. in Coacis. *Exsudantes, vigilantes, & recalescentes, malum.*

A prin-

VIII.

A principio largius ſudare in febre puncticulari bonum eſt (licet in alijs, ſubiacere videantur ſudores in principio, vniuerſali iudicatoriorum non iudicantium regulæ) ſudore enim ab initio tollitur mali fomes, & abolentur contagionis ſeminaria, vt non poſſit poſtmodum latius propagari infectio.

IX.

Non ſudare autem incipientis febre, & nuper agglutinatis ſeminarijs, & contagione aucta, etſi nullum aliud ſecum haberet malum, hoc vnum ſatis foret, quod ſeminaria ipſa, quæ quidem ex natura ſua conſimilia aggenerant, & multiplicant, concluſa intus ac detenta

magis

magis ac magis in dies, & febrem, & putredinem augebunt, adeo vt postmodum maximo sine ægrotantium discrimine destrui non queant.

X.

Contra in statu morbi sudores sunt pernicioſi, & ſæpe cum eis laborantes extinguuntur, propter facultatis, & ſolidarum partium imbecillitatem, a quibus non poterunt humores elaborari ad perfectam criſim exſpectandam.

XI.

Madoribus, & vaporis calidi per vniuerſum effluuio maior pars hac tempeſtate perijt, præcedente in multis frigido è naribus ſpiritu: vt heri in piſcatore obſeruaſtis, qui ſub finem ſeptimi viuendi finem

nem fcit. *Signa lethalia*, dicebat Hipp. *per cutem calidus vapor, prius autem naſus frigidum ſpiritum reddit*. Exiguus namque calor 6. epid. ſect. 4. t. 26. vorantis malignitatis reliquiæ qui ſe intra cor receperat, calida euaporatione exhalans, emoriente ſimul corde, diſſipatur, vnde in carpis pulſus non percipitur: vt huic piſcatori, cui per diē ante mortem omnino delituit.

XII.

Tertium ſignum ALVI FLVOR inter initia prodeſt, quando humores plus venenoſæ qualitatis, quam putredinis habent: quia venenoſa qualitas coctione non corrigitur: ſi vero plus ſit putredinis, nunquam alui fluxus, niſi per coctiones ſaluber exiſtit. Cognoſcetur autem plus vigere pu-

tre-

redinem, quam venenum, quia febris intensior est, pulsus maior, & vehementior, & qui facile dilatatur: contrario vero modo, vbi venenum pollet.

XIII.

Subalternatur alui fluori, *Vermium expulsio*, etiamsi sæpissime per vomitum reijciantur, vt est in hac febre horum animalculorum ingens prouentus, malignorum succorum soboles. Si ante septimum exeant, graue malum minantur, putredinem ingentem, & calorem igneum prædominantem: at post septimum, apparentibus aliunde signis coctionis, solent criticè, & bono omine expelli, non iam violentia morbi, sed vi naturę. Pronunciauit Hipp. hanc prognosim his verbis: *ac lumbricos quo-*

que teretes, eunte in iudicationem morbo, descendere vnà cum deiectione, idoneum est. lib. 2. progno. 18.

XIV.

Crudo tamen adhuc existente morbo, etsi diutius protracto, fractisque admodum viribus, excerni, omnino exitiale est: effugiunt enim non minus quam pediculi, dispositionem in ægrotante cadaueroſam; quod notauit Scaliger exercit. contra Cardan. 246. t. 4.

XV.

Præterea enecatos expelli e corpore, malignioris affectus esse indicium voluerunt nonnulli. Nos alibi cum Auicenna, & Rhasi statuimus, cum ex materia, tum ex accidente maligniores esse mor-

morbos, per quos hæc insecta viua expelluntur, quàm enecata. *Ignis Lambent. lib. 1. c. 6. in calce.*

XVI.

Quartum signum. In hac febre circa vrinam ista præsertim veniunt pro prognosi considerandа. Vrina quæ crassa, rubra, spissa, & turbida perseuerat, periculosa.

Quæ subito colorem, & substantiam mutat, mala; decubitum humorum ad aliquod membrum princeps demonstrat.

Tenuis, & quæ subito plurimum turbatur, maximum feruorem indicat, & periculum minatur.

Fœtida graue malum significat, excellentem putredinem cum malignitate coniunctam.

Mala etiam est, & ferme lethalis, quæ circulum habet variegatum, aut coloratum.

Subita vrinæ mutatio ad bonum, aut ad malum, suspecta.

Sedimentum simile farinæ, periculosum.

Sedimentum, qualecunque sit, si appareat, & deliteſcat, malum, laborem, mutationemque significat. lib. 3. Coac. sect. 3. t. 64.

Imminuta vrinæ quantitas, maxime circa statum, aut eius suppressio, mala.

XVII.

Quintum signum: pulsus æqualis, & tenorem seruans, bonus, inordinatus, inæqualis, contractus, præsertim si a principio debilis appareat, malus, ex Hippocrate lib. 1. Prædict. & lib. de Coacis

cis prænot. *Qui præter rationem, nulla existente vasorum inanitione, impotentes fiunt, malum.*

Obseruatur etiam non rarò in hac febre vitalis facultas omni vitio affecta, & crebris intermissionibus intercepta, animali potentia ab omni læsione immuni; pessimum, & lethale signum est, venenum quidem ostendit, & pranam putredinem, quæ ad mixti dissolutionem breuiter tendat.

XIIX.

Sextum signum: Circa maculaarum prognosim quinque vobis erunt considerandæ; tempus nimirum, color, locus, quantitas, & exeundi modus.

Quæ in principio apparent, nunquam iudicationis, sed symptomatis ratione semper exeunt, semper

infauſtæ, & plenæ periculi ſunt æſtimandæ.

Quæ tardius, circa nonam, aut 11. ſcilicet, non minus periculoſæ: cum enim humorum craſſitiem, & cutis fortem conſtipationem oſtendant, tenacius adhærere malignitatem, & putredinem maiorem, indeque ægrotantis ruinam minantur.

Neque omnino ſunt ſecuræ, ſi 7. apparuerint, niſi ſimul ex febris ſimplicitate, & coctionis ſignis, aut mitiori viſcerum agitatione, & feruore proceſſerint: ſin minus, pernicioſæ, idque potiſſimum, ſi cum delirijs ſuccedant.

XIX.

Circa colorem: quæ rubræ ſunt, mitiorem eſſe febris cauſam, nempe ſanguinem, indicant: ſic puni-

ceas

ceas excerni, iam quodammodo assari, & vri sanguinem; atras vero, prorsus exassatum, atq; vstum esse: veluti violaceas, & liuidas calorem naturalem extingui, atque omnia pessum ire significat. Huc referte liuores, qui in dorso solent apparere, circa statum, & in principio ipso; & incisionum, quæ per cucurbitulas scarificatas fiunt, labra liuentia, aut nigricantia fieri, mortem certo indicant: cuius fidem faciet celebris illa lues Moraüica, de qua Sportschius elegantissime, & ex Galeno libro de bonitate succorum recte colligitur, dicente, ex vena secta sanguinem in his febribus exire, aut plus iusto rufum nigriorem, serosum, aut acrem, vulnus inter fluendum mordicus vellicantem, vt ægre inde ad cicatricem duci possit, &c.

XX.

Circa locum ista perpendite: in pedibus, cruribus, natibus, & lumbis apparere, melius est.

Sic peius circa scapulas, & dorsum, & circa anteriorem pectoris, & sterni partem prosilire, maiorem anxietatem ostendũt, & naturæ maiorem oppressionem, & impotentiam.

XXI.

De quantitate Fracastorius detetius esse statuit, si plures appareant maculę, ac salubrius, si quam paucissimæ, neutra pars vacat periculo: nam licet summa cum ratione vereatur vir insignis tantam subesse venenosæ causæ copiam: quod necessariũ sit, vt ma-

gno

gno conatu natura copiosam moliatur expulsionem, imminereque periculum, ne tanto malo oppressa succumbat facultas: attamen paucæ, si alijs pravis signis associentur, multo grauius malum minantur, irritum naturæ motum, & expultricis imbecillitatem.

XXII.

Denique circa exeundi rationem sic prognosim elicite. Si ægre exeant, vel maxime dispersæ repullulent, non ex toto securas pronunciate: sic si foras iam expulsæ, intro iterum retrahantur, aut regrediantur (quod sæpe fit) ad interitum ægros ire nunciant: significant enim aut naturam non esse potentem, aut humorem non satis obedire expulsioni, aut alias euacuationes per loca minus op-

portuna tentare naturam : vt Simoni, cui vomitus adeo male conferebat, vnctione vero, & fomentis iuuabatur. 3. epid. com. 3. 34. ac proinde a circumferentia ad centrum regredi venenosam materiam.

XXIII.

Ex facie Hippocratica mortem prædicere non nouum est : Affabrè delineauit illam diuinus senex, & quantum ab illa esset metuendum nos docuit: magnum in hac febre locum obtinet. Rem tamen admirandam, & in naturæ adytis reconditam, intactam reliquit, quam ex posteris ferè tetigerit vnus aut alter. Audite: *quicunq; malignè febricitantes, facie repræsentant atauos, auos, aut parentes, cum antequam ægrotarent, illis*

lis minime assimilarentur, omnes extinguuntur. Quod mirabile est obseruatum nuper in quodam Engerrano filio, qui cum non esset vultu matri similis, illius tamen facies ante obitum ita proprie maternam repræsentabat, vt omnes stuperent. Discite hinc quam verè aliquid diuinum lateat in morbis.

XXIV.

Lingua in hoc immani morbo, si quæ alia corporis pars, vobis loquetur vel faustas, vel infaustas prognoses. Perpendite quæ apud Hipp. copiosè passim exarantur: ex eis hoc vnum inter multa colligite, vt mortem breui subsecuturam certò pronuncietis; *frigiditatem* nimirum linguæ actualē, quæ in his febribus solet quando

que ad tactum digiti obseruari; in quibus præsertim coniunguntur symptomaticæ euacuationes multæ, per quas spiritus, & calor innatus fere ad extinctionem depauperatur. Signum est omnino lethale, nec nisi in magnis viscerum inflammationibus, aut sub mortem, aut in febre pestilenti talis lingua apparet.

XXV.

Hanc linguæ frigiditatem voluit significare Hipp: sent. 1. lib. 2. sect. 2. Coac. prænot. per hæc verba: γλῶσσα δὲ κατ' ἀχρὰς μὲν περῤῥικῦια &c. i. e. *Lingua, quæ in principio quidem inhorruit*: Non existimetis horridam, squalentem, aut asperam intelligere, (hoc alibi insinuauerat) sed frigidam actu

actu vt doctiſs. Iacotius. Etenim cū linguæ mollitie, humiditate, & calore naturali ſolet hoc ſymptoma apparere: vt ex multiplici obſeruatione Simeonis Iacozij retulit eruditiſs. Riuerius, quem legiſſe nunquam pœnitebit.

XXVI.

Tremula lingua mentem non firmam ſignificat, & ſi nigra ſimul fuerit, celerem mortem denunciat, *lib.* 2. Coac. *ſect.* 2. t. 6.

XXVII.

Lingua vndiquaque ſubtus, ac in lateribus arida, & quæ liberè exeri nequit, ingentem ruinam minatur.

Col-

XXIIX.

Collidi, & ſtridere dentibus, in non conſuetis per ſanitatem, inſaniam oſtendit, mortemque denunciat; ſi verò iam delirans hoc efficiat æger, omnino lethale eſt.

XXIX.

Siccati dentes lethale. Sic lenores dentibus inſidentes pertinacis morbi ſunt indicium, & fortis febris: ſi vero glutinoſa illa, quæ interſtitijs dentium adhærent, nigricant, lethale.

XXX.

Reſpiratio frequens, & parua inflammationem in locis principibus ſignificat. Nullum in prædi-

cen-

cendo præstantius signum respiratione. Difficilis, & frequens in hac febre semper mala, & mortem minatur: vt hac morborum grassante constitutione nimis clare patet.

XXXI.

Circa fauces non tumentes irritationes paruę, dolorosæ, delirium significant, & phrenitidem lethalem. Hoc nuper obseruastis.

XXXII.

Manus tremulæ delirium minantur: oppressis namque mole, aut qualitate succorum, neruorum ad manum pertinentium radicibus, merito timetur periculosa illa μετάῤῥυσις, qua neruorum affectus ipsi cerebro communicatur, vt in Historia Pythionis lib: 3. Epid:

Epid. sect. 1. text. 1. Sed qui, dum pulsus contrectantur, manus retrahunt tremulas, quasi vitæ suæ timentes, alioquin sine vlla querela manentes quieti, nullo modo dormientes, aut nisi interrogentur, loquentes, omnes ad vnum perierunt.

XXXIII.

Pessimum signum est, & timoris plenum, cum sanguis vena scissa extrahitur, si purus, rubicundus, & inculpatus educatur, venenositatem superare indicium est, aut putredinem in penitioribus cordis latitare. In me ipso olim obseruatum: nam ter per hanc febrem sanguine per venam misso, nulla prorsus putredinis nota apparebat, alijs signis immani ferocitate sæuientibus.

Aliud

XXXIV.

Aliud non minus admirandum, quàm lethale ac exitiosum ex sanguine elicite prognosticum, à paucis hactenus obseruatum, vel propter medentium incuriam, vel propter signi raritatem. *Ex sanguinis* scilicet *extracti frigiditate*: qualis in glacie, aut niue percipitur. Solet hoc signum breui temporis spatio mortem præcedere.

Estote diligentes in perserutando, vel etiam minima. Refero experitiss. Riuerio obseru. 46. ex communicatis a Pachieco.

XXXV.

Sanguis per scarificatas cucurbitulas putridus illicò apparens, pernicioſum, iam serpsisse virulen-

lentam putredinem argumento eſt, & in partes ſolidas ſe vltro inſinuaſſe.

XXXVI.

Stilla ſanguinis ſemper funeſta, in principio, vel augmento: præſertim ſi quarta erumpat.

XXXVII.

Surditas tum bona, tum mala ſolet eſſe. Surditatem nuper obſeruaſtis peſſimam breui euanescentem, vna die circiter durantem: quæ ſequitur alia ſymptomata: & in proceſſu aut ſtatu morbi, & perſeuerans, optima eſt, quia in eam degenerare alia ſymptomata ſignificatur, & humorem in halitum fortaſſe conuerti. Hanc laudat Hipp. 1. popul. ſect. 3: Ægr. 3: loquens de huiuſmodi febre, tanquam

quam certum ſalutis prælagium; multos enumerans in epid. qui ſurdi euaſerunt, vt in Hiſt. Eropiti, & virginis decumbentis in ſacra via.

Quæ vero præcedit, mala eſt, vt quæ retrocedit. *A ſurditate, & torpore, ſubſtillare ſanguinem e naribus, nescio quid habet difficile*, lib. de Coac. Fluxum ſanguinis prænunciare ſolet iſta ſurditas, aut parotides, aut forte maius malum, vt in Hiſt. Hermocratis, & Philiſcommentatur Galenus.

XXXIIX.

Furfuracea nigra e capite decidentia, lethale: caloris natiui extinctionem ſignificat, & ab atra bile in vniuerſum prędominante haſce fuligines eleuari indicio eſt: non minus periculoſum, quàm ſi re-

reijciatur atra bilis ipsa. Obseruaui nuper in adolescente Pesaro Nobili Veneto, cui tanta copia furfuris atri, e capite in puluinos decidebat, vt singulis horis toti veluti nigro puluere inspergerentur: post 20. extinctus est.

XXXIX.

Horrenda Phthiriasis, ante septimum præsertim apparens, maiorem partem ægrotantium misere sustulit: nec protracto morbo semper est secuta, nisi crudelitatis signa apparuerint. In declinatione salubriter solent germinare, consumptis per ea animalcula impuris succorum reliquijs, quæ ad cutem natura detruserat, non satis valens propter putredinalem visciditatem ab eis se expedire, alioquin pernicioſas effecturis recidiuas.

Som-

XL.

Somni profunditas formidanda. *Et turbulentæ cum ferocia excitationes, mentem emouentes, malæ* Lib. 3. Coac. 9.

XLI.

In his febribus mentis emotiones taciturnæ in eo, qui voce priuatus non est, perniciosæ sunt.

XLII.

Sputum nigrum, aut praui coloris, cum difficultate resp[illegible]rationis, lethale: extingui calorem natiuum argumento est. Iam & hoc ob eruaſtis

XLIII.

Malorum denique ſignorum perſeuerantia, peſſimum ſignum: Nec mediocre periculum eſt, quædam ex malis ceſſare, alijs permanentibus; deuictam naturam arguunt, breuique omnino caſuram. Multa alia ſigna in dies in hac febre obſeruantur, quæ longum eſſet recenſere. Perluſtrate Hipp. prognoſtica, Coac. prænotiones, & libros Epid. præ cæteros.

XLIV.

Reſtat adhuc in prælagijs animaduerſio magni momenti, in qua ſolent naufragari etiam in arte periſſimi: in hac præſertim dolorſa febre, in qua ægri ſæpiſſime propè mortem melius ſe habent;

Tunc

Tũc eſtote oculati, nolite fidere ijs quæ præter rationem eueniunt: pereunte enim partium ſenſu, & ceſſante facultatum actione, mitescere videntur ſymptomata, & hoc ipſum, eſt ipſum mori, tantum abeſt quod a recta actionum diſpoſitione proueniat. Accipite auream iſtam doctrinam ab Auicenna dicente. *Quum homo habet febrem incenſiuam, & inuenit alleuiationem, & quietem caliditatis ſubito abſque criſi manifeſta, & quieſcit, quod eſt in pulſu de velocitate, & inuenitur ſicut tranquillitas, tunc iudica quod morietur velociter.* 2. 4. tract. 1. c. 29.

XLV.

Infinita exempla huiuſce fraudis, & inemendabilis doli habentur apud Hipp. & Galenum. *Puer con-*

conuulsus in Hippologi villa, cessante conuulsione, sanus videbatur, & septima morbi die latenter moritur. l. 4. Epid. text. 81. *Hermocrates lethali morbo correptus, paulo post sine febre, cum somno, & sana mente extinguitur.* lib. 3. Epid. sect. 1. tex. 2. Sic apud Galenum, *qui ob lassitudinem febricitabat, visus est 4. die bene valere, deinde septima vesperi cum febrire cœpisset, tabefactus obijt.* lib. 1. Prorrhetic. sect. 2. com. 17.

XLVI.

Sed si arrideant magis recentiores casus. Medicus quidam Lusitanus primæ notæ, Carolus nomine, in inclyta Ciuitate Conimbrica, quum in aliorum Medicorum sodalitio ægrotantem visitaret, quem præcedenti die certò

mo-

moritutum prædixerant, inuenientes illum alij absque febre, cum pulsu bono, vrina bona, lingua molli, sanum mente, & bene se habentem ad oblata, lætantur magnopere: accedens senior miratur, ac ere arguem in herba suspicatur, contrectat totum corpus, nihil quod fraudem detegat percipit, præcipit præsenti chirurgo, vt digito interna recti intestini exploret, an fortè hæmorrhoidum tumorem inueniat; obsequitur Chirurgus, & vix intromissum digitum citissimè retrahit, asserens, tanto ardore aduri interna, vt sustinere vix posset: tunc senex sine mora contra iuniorum votum mortem intra horam, non sine magna artis laude, & adstantium admiratione prænunciat.

XLVII.

Cauete igitur ab ista Syrte, & Celsi salubertimum consilium in cautè præsagiendo sequimini. *Vbi*, inquit, *grauis metus est, sine certa tamen desperatione, indicare necessarijs periclitantis in difficili spem esse, ne si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur*; Lib. 5. c. 26. *Quicunque enim*, ait Galenus, *in hoc grauissimo negotio in quo non salum æger, sed Medici fama, & honor periclitantur, in periculosis morbis, plusquam deceat ægrotantes hilares, & bonæ spei plenos reddunt, in multo maiorem conijciunt tristitiam sequentibus diebus, quum aut in peius morbus cecidisse videtur, aut vltra promissa Medicorum producitur*. com. 43. lib. 6. Epid; sect. 2.

XLIIX.

Denique per quam euacuationem meliori crisi liberari possit æger, sic perpendite. Per hæmorrhagiam narium nonnulli, pauci tamen, iudicantur; & omnes, quibuscunque appatuerunt stillæ, periere. Non bene per hanc euacuationem educuntur seminaria morbi, frequentius liberantur per deiectiones alui, quantumuis parum oportuna sit ea regio ad seminaria educenda. Per sudorem præstantissima crisis: nec adeo laudabilis per maculas, quoniam non semper securæ: Per abscessus non ratiò euadunt agrotantes, de acuto in chronicum mutato morbo: ictero, sudoris ad instar, non pauci liberati, post septimam erũpente. Vermibus multis eiectis

multi euaserunt, sed morbo ad iudicationem tendente.

FEBRIS MALIGNAE PVNCTICVLARIS CVRATIO.

Sectio V.

Ciborum quantitas, qualitas, tempus exhibendi. Potus genera magis oportuna: & alia circa ὑγιεινὴν examinantur.

DE VICTVS RATIONE.

I.

OPerae pretium erit in curatione grauissimi huius morbi a difficiliori Therapeutices par-

te

te exordiri: in ea enim sæpissime lethaliter erratur, quoniam vel negligitur, vel ab assistentibus, & ægrotante decipiuntur medici. Estote in hoc valde oculati: nam Philonis filia, quia septima die intempestiuius cœnauit, obruta est 1. epid. Hipp. sect. 5. adeo in acutis morbis vel quodlibet momentum, aut minimus error facit ad mortem inducendam. In victu igitur quantitatem, qualitatem, & tempus exhibendi (quæ etsi facilia videntur, sunt tamen difficillima) diligenter perpendite cum Galeno *lib* 11. *meth cap.* 3. *qui* non leuissimam magnę, & dignissimæ artis nostriæ partem, scientiam ordinandi victus esse, iure meritò existimat.

II.

Circa quantitatem, aliquantulum a communi Hippocratis doctrina hic discedite, nec semper respectu ad morbi vigorem cibi metiendi. Habere quidem solet hæc febris breuiter extremos labores, sed breuius extremas exsolutiones: *In tenui victu igitur ægri delinquunt*, quoniam in crassiori, aut symmetro iuuantur. Punctiicularis hæc febris, etsi pestifera non sit, maligna tamen est, & quoquo pacto cum peste communicat, adeo vt plerunq; resolutis ob succorum prauitatem viribus, hominem ante septimum conficiat: quod Gal. Hist. 3. *vulg. com.* 3. *tex.* 58. comprobatur, loquentis de quadam peste sic: *Fortissimi ergo, qui vim sibi ipsis adferentes*

tes *cibum oblatum aßumpſerunt, omnes fere ſuperſtites fuerunt.* vnde in febre pulicari (quantumuis illa acutior ſit) ex victu parco, & tenui anguntur, & deficiunt ægroti, vigilant, & acriora meiunt, ac ſæpe delirant, & quod peius eſt, intus trahuntur maligna ſeminaria, per inediam a membris externis ſugente ventriculo: veluti ab eo antea reliquæ particulæ trahebant, ex moderato autem dormiunt, quieſcunt, & melius habent.

III.

Quamobrem expedit ne a principio impereitis multam inediam, præſertim in ægro biliosi temperamenti, & corporis habitus tariotis, æſtuo tempore, vel irritatorijs laceſſito ſymptomatibus, ſudore videlicet reſolutorio, alui

fluore, hæmorrhagia, & vomitu; animi deliquio, syncope, & similib. quæ omnia, & singula sunt diligenter perpendenda, vt victus ratio aptè præscribatur, non solum ad vigorem morbi attendendo, sed ad vires, & ad præsentem morbi constitutionem, & symptomata, quæ febri superueniunt. *Cum igitur virium gratia* (*ait Gal.* 1. *Aph.* 9. & 10.) *potissimũ nutriamus eodem vel in ipso etiã morbi vigore, in quo tenuissimo victu vtendum Hip. ait*) *vbi casus aliquis interuenit robur naturæ dissoluens, nutrire nihilominus cogimur.* In eis vero, qui in ventriculo, aut vicinis partibus copiam congerunt cruditatum, vtilis est inedia, nec ab ea patiuntur quicquam, & minus, si habitus totius corporis, vel febris fuerit pituitosior, aut ingens plenitudo, cibarum contractionem postulauerit:

Aetius

Actius Tetr. 2. serm. 1. cap. 129.

IV.

Circa qualitatem, tales eligantur cibi, qui parum quidem alant, & cõtagionis, quominus ad interiora irrepat, impetum coerceant. Eliminentur olera, & radices, exceptis lactuca, scariola, buglossa, scabiosa, oxalide, quæ iusculis incocta, vel in acetarijs, in parua quantitate concedi poterunt, præsertim assuetis, & ventriculi feruidioris ægrotantibus: damnantur fructus duriores, & sicci, vt fugaces, & horarij; si cerasa acida, aut ribium corymbos excipias: nam acida omnia valde expetuntur, quoniam appetitum excitant, & magis resistunt putredini. Inter Poma gaudent Hispani camusijs, cordiali, & suauissimo, ac recreanti fructu, quæ cum Italorũ Appijs, & Germanorum Burstor-

fianis recte comparari possunt: ista libere concedatis, cydonia mala, & punica, acidodulcia, limonum acidorum, ac citriorum omne genus: Horum, & aurantij succo aduersus venenatos, & malignos morbos vsos fuisse antiquiores certum est, ac proinde cæteris fructibus præferendi.

V.

Hinc saccharo condita, acidum citri, sorbetum Constantinopolitanum, gelatina ceraforum acidorum, ribium, berberium, fragorum, & prunorum, quæ Veronenses vocant *Verdacchi*, flores borraginis, cucurbita, lactucarum caules, & demum radices scorcioneræ, quæ singulari proprietate punctularis febris malignitati aduersantur, impune conceduntur.

Car-

VI.

Carnibus temperatis, & cum moderatione exhibitis ab initio alatur æger, pulli gallinacei, vel capi iuuenes, auiculæ, & alaudæ, ac turdi præferuntur inter aues: inter quadrupedes vitulina, præsertim in Italia: vt in Hispania, & Gallia vervecina, quæ succis acidis, ad appetitum comparandum poterunt intingi, ex quibus, & succi restaurantes, & contusa seu Pista, Auicennæ olim inuentum, & nunc mulierculatum ambitio, pro imbecillibus ægrotis, quando præsertim vrget inappetentia, apiè parantur. Nec sunt prætermittenda expressa ex assatis carnibus, quę validiora multo reddentur, si inter assandum, aut elixandum inspergantur, aut imbibantur aquis cor-

dialibus temperatis, & mixtis pulueribus pariter cardiacis: nec desũt qui vino generoso, ambra, & moscho irrorent, deinde cum iusculis, & ouis recentibus sorbenda ægrotis pro prandio exhibeantur.

XII.

Præterea erit præstantissimum, iusculis immiscere succum hordei, qui si vt decet extrahatur, antiquorum ptisanam superat, & recentiorum experientia omnes implet in hac febre cibandi intentiones: Emulsiones pariter seminum frigidorum maiorum in aquis cordialibus, aut ipsis iusculis, pro sorbitionibus simul nutrientibus, & refrigerantibus, sunt valde ex vsu: non sic amygdalata, quia caput tentant, & difficilius coquuntur, & nisi, cum somni inducendi sese

offert

offert neceſſitas, cum emulſione ſem papaueris, & aquis appropriatis veniunt vſurpanda.

VIII.

Potus ſit aqua decoctionis hordei, & radicis ſcorcioneræ, Bugloſſi, aut oxalidis, quæ aliquid ſucci acidi limonis, aut citrij, recipiat: ſic enim Pareus potionem ſuam diuinam in febribus malignis, & peſtilentibus opportunam præparat. *Accipit* aquæ decoctionis radicum ſcorcioneræ (vel alterius radicis cardiacæ temperatæ) cyathos vi. ſacchari fini vnc. 4. ſucci limonum, vel citrij vnc. 1. miſceantur optime, & ſæpe permutentur de vno vaſe in aliud: deinde parum coquantur, addita portiuncula corticis citrij, & colentur pro vſu. Aliquibus valde arridet, & pariter

ter conuenit tinctura rosarum, si cum guttulis spiritus chalcanti in aquis stillatitijs scorcioneræ, oxalidis, buglossæ, & similibus, extrahatur: nec aqua stillatitia hordei est contemnenda, in qua sæpius frustulum auri extinguatur: de stillatum pariter ex carnibus vitulina, aut pullorum, si ab empyreumate alembici, & nauseabundo quodam sapore vindicetur, non displicet:

IX.

Potus tamen non præbeatur niue refrigeratus, vt moris est apud plerosque, valet nix mirum in modum ad præcautionem, ad curationem vero, (nisi in valde assuetis, & valde æstuantibus) parum prodest, quoniam calor innatus in hac febre maxime patitur.

X.

Alia quæ ad victus rationem pertinent, inter morbi ſymptomata hic potius recenſentur, exceptis quibuſdam, aere, de quo religioſe aduertendum, ne intemperatus ſit, aut conclaue ventis peruium, ſed potius ad calidum vergens, in hac præſertim ciuitate, & multis alijs ſub ſimili aeris ſubtilioris tẽperie conſtitutis, in quibus maxime ſeruandus æger eſt, ne ſe frigidiori ambienti exponat, ne ſtragula reijciat, ne in mutatione lintea- rum pariatur. Quare ſi fieri poſſit, ne vel minimum ſurgat a lecto, præſertim die hauſti medicamenti, aut in enematum reiectionibus, quandoquidem præter aeris incommoda, motus etiam & agitationis damna perſentire cogitur.

Som-

XI.

Somnus mox a cibo grauis est: retrahitur enim per somnum ad interna viscera malignitas, incipiente, aut crescente accessione molestus, veneno nimium prævalente pernicios̃us.

XII.

Solentur sæpius ægros adstãtes, & spe salutis alãt, & verbis alacribus, & vultu hilari recreent; nam vultum, & gestus medicorum maxime præ timore obseruant ęgroti: prudenter tamẽ in hoc cuncta pronunciate, & inter spem admoneantur statim de periculo & morbi grauitate, vt cum tempore animę, & rebus domesticis consulant, antequam symptomatũ sæuitia mentem præpediat: quanto enim citius

ad-

admonentur, eo minorem periculi ſuſpicionem concipiunt, eo minus timent: nec imprudentia foret, etiam ante pulſus contactum, aut vrinæ aſpectum hoc munere fungi.

XIII.

Tempus cibandi variumeſt: in regulari curatione, à principijs, & vigore acceſſionum eſt abſtinendum, in cura coacta, quandoquè ingruente paroxyſmo, aliquid porrigẽdum, præſertim picrocholis, & quibus anxietas, & cardialgia facile ſuboritur. Declinante caloris feruore, cibus, & potus conferunt: ſed ſi in medio acceſſionis vigore ſuccedat animi deliquium, aut ingens exolutio, aliquid exhibendum, aut iuſculum, aut offa vino eraſorum acidorum, aut grana-

to-

torum imbibita, quin & aliquando casus adeò vrget, vt vinum oligophoron concedere cogamur: sed hoc magna cum præmeditatione facite, nam sæpe fallit hęc affectio sub specie imbecillitatis.

XIV.

Si propter longiores accessiones a tempore prandij ad cœnam nimia sit horarum intercapedo, emulsionem, aut ouum iusculo conquassatum, aut sine ouo ius ipsum circa vesperam exhibete, cœnam postmodum, quę vt plurimum ex carnis sit, in altam noctem protracturi: hoc tamen secundum horas accessionis mensuretur.

CHI-

CHIRVRGIA.

Sectio VI.

Chirurgiæ operationes in hac febre percurruntur, venæ sectio, cucurbitulæ tum siccæ, tum scarificatæ. Hirudines, vesicantia, frictiones, inunctiones, enemata, epithemata.

I.

IN pulicari igitur febre detrahendus statim sanguis est, per venam sectam maxime, quantum fieri possit ab initio; est enim hęc operatio tanti momenti, vt illa neglecta, vix faustum euentum in hac febre vobis liceat speserare,

rare, quantumcunque blateret indoctum vulgus, cuius perniciosa petulantia licentiam in hoc sibi arripit peritiorum etiam medicorum operationem arguēdi, ac coercendi. Non vos ista deterreant, & a recto medendi tramite latum vnguem auertant; extrahite in principio alacriter sanguinem, pro plenitudinis, & virium ratione, summatim vero ad quartum vsque: quinimo etiam, & illo toto tempore, quo non admodum diffusa fuerint contagionis seminaria: cum plethora autem etiam post dispersionem.

II.

Mittite ex vtroque brachio, *vt proximum ventrem euacuetis*. In suppressis autem mensibus, aut hæmorrhoidibus, ex talo; sic enim

a cor-

coide longius retrahetur virulentia, sic exonerata natura ab ea, qua antea sarcina premebatur, reliquum validius superabit, & patentius, ac copiosius reserata obstructione, puncticulas foras detrudet, cum magno ægrotantis leuamine, propter ventilatum calorem, obstructionem reseratam, & coercitam putredinem.

III.

Sanguinis missionem ex venis sub lingua mirum in modum proficere in hac febre obseruatum est: hac enim euacuatione pauci dissipantur spiritus, & simul ex vena cana, etsi non largius, propius tamen, & celerius educitur sanguis, quàm ex venis brachiorum, Basilica aut communi.

Ve

IV.

Verùm quia hæ, iugularis externæ sunt productiones, quæ superclauiæ, ac deinde cauæ ascendentis est ramus, nil prohibet multum exhaustæ, quo minus de maiori sanguinis fonte elicere, hauriteque postremò debeant.

V.

Quin multum etiam hac sola ratione malum leuare poterit harum venarum sectio, quandoquidem ambæ simul apertæ (vt fieri solet) singulari æquilibrio ab vtroque latere fundunt sanguinem: quo emolumento non gauderet vnica brachij phlebotomia, in locis potissimum, in quibus parcè admodum, & cum metu extrahi-

tur

tur sanguis, vti fit Veronæ, cuius cœli temperies non permittit liberalius venas secare; secus in Gallia, & Hispania, vbi adeo expetitur in extrahendo sanguine æquilibrium, vt vix ab vno brachio detrahatur, quin protinus ab altero pari hauriatur proportione.

VI.

Si tamen morbi principium cum ingenti plenitudine nacti fueritis, *prius* è brachio educite sanguinem, deinde ad tundendas sub lingua raninas accedite.

VII.

Si vero cum magna plethora plus malignitatis, quam putredinis signa appareant, tutius erit prius malleolum tundere, intactis brachijs,

chijs, vt diminuta plenitudine, simul à corde longius reuellatur virus, mox ad venarum sub lingua sectionem, vt dictum est, properare.

IIX.

Hanc saphenæ in febribus pestilentibus tundendæ doctrinam magnorum virorum autoritate stabilitam, felicissimè ad vsum reuocauit D. Valentinus Medicus Venet. constitutione epidemica anno 1629. vrbem depopulante, in qua, vt fieri solet, maligni succi ad caput, & partes principes rapiu ferebantur, acutas phrenitides, & horrenda delyria excitantes. Hoc auxilio infiniti postmodum euaserunt, cum summa artificis gloria: euasit & ipse Galenus suo tempore à febre pestilenti per Asiam immaniter grassante, sanguine ad bi-

nas

nas libras è cruribus extracto: vt ex Oribasio refert apud Galenum autor præsagij experientia confirmati.

IX.

Cæterum Ægyptij vsque ad eò ranarum phlebotomiæ confidunt, vt pro arcano habeant eadem vti ad inflammationes quaslibet capitis, atque oculorum affectus, ruborem faciei, febrilem pharenitidem, vigilias, febres acutas, dū die critico natura crisim per hæmorrhagiā remoratur; tertianis quoq; febribus leuamento esse Iacobus de Partibus testificatus est. Videte Seuerinum, Chirurgiæ efficacis par. 2. de angiologia cap. 14.

X.

Nec ideo apparentes puncticulæ absolutus sit vobis phlebotomiæ terminus: manente enim plethora, etiamsi infinitæ propemodum erumpant maculæ, non protinus à sanguinis missione erit abstinendum, nullus tunc regrediendi adest timor, nec vacuus superest locus, in quem succi subeant.

XI.

Sed pro ista doctrina valde ardua, & difficili, operam, & studium impendite, vt exquisitæ plenitudinis signa inseparabilia vobis innotescant, tum illius quæ secundum vires est, tum illius quæ ad vasa dicitur: huius certa signa sunt tensio, rubor, obstructio; vt alterius

inse-

inseparabilis grauitas. Legite Galeni lib. de Plenitudine.

X II.

Si hæc appareant, sanguinem mittite, nullis tamen alijs, præter cutis efflorescentiam, quæ maioris sint momenti, repugnantibus; si vero nulla sint plenitudinis signa, cauete in hac febre cane peius, & sangue à venæ sectione, post puncticulatum præsertim exitū: in irreparabilia etenim pericula ęgrum deducetis, reuocatis ad interna corporis infectis humoribus, permixtis alius seminarijs, putredine aucta: & tandem viribus ad internecionem exsolutis. Audite vt Auicenna in variolis hanc doctrinam vobis ingerat: *cum variolæ* (inquit) lib. 4 fen. 1. tract. 4 c. 10. *egrediuntur, non oportet tunc vt administre-*

tur phlebotomia, nisi inueniatur repletio, aut dominium materierum.

XIII.

Nec tamen semper sola plenitudinis præsentia debet esse inuiolabilis norma ad tundendam venam in hac febre: multa enim occurrunt, quæ istam operationem impedire valeant: alia, quæ illam, si non omnino tollant, saltem minuant, & coarctent: illud facient, symptomata praua, & grauissima, quæ in principijs solent quandoque pię malignitate apparere, facientia colliquationes, syncopes, exsolutiones, anxietates, & alia, quæ aureo illo capite 14. lib. 1. de arte curatiua ad Glaucon. fusè vos docebit Galenus. Hoc vero, iusta libratio viriũ ægrotantis, multitudinis plethoræ, accessionum, consuetudinis,

æta-

dinis, ætatis, habitus corporis, cauſæ alicuius procatarcticæ violentæ, & aeris ambientis: circa quem, alta mente reponite auream Hippocratis ſententiam lib. 4. de ratione victus, t. 19. *cum fuerit aer abunde calidus, & ſiccus, ita vt cito ab eo corpus euaporet, nempe tum à ſanguinis miſſione abſtinemus, etiamſi morbus magnus ſit, vigenſque ætate homo*; licet non ſemper æſtate media graſſari ſoleat hic morbus, ſed ſæpe atrocius irruat hyeme, vt nunc experimur.

XIV.

Cucurbitulæ

Si quod aliud auxilium, in hoc morbo ſunt efficaciſſimæ. Poſt vnã igitur, aut alteram per venam ſectam euacuationem, (bona ægrotantis ſorte ad principium mor-

bi fuerius accersiti, affigite cucurbitulas scarificatas imo dorso, sin minus, & tardius vocatis, principij occasio iam non suppetat, statim post vias ductuum vel lenientes, vel clystere saltem expiatas eæque per morbi decursum erunt repetendæ, quoties opus fuerit, vel ratione reuulsionis, vel euacuationis.

Audite quid Celsus de cucurbitulis sentiat. *Quandoquidem* (ait) *vt ex eis minus vehemens est auxilium, sic certe est magis tutum, nec vnquam est periculosum, etiamsi adhibeantur. Ideoq; vbi sanguinem mittere opus est, & periculum à vena secta imminet, huc potius confugiendum.*

XV.

Suris, & malleolis affixæ cum decenti scarificatione apprimè ve-

næ

næ ſectionis vicem ſubeunt, dicente Galeno 2. aphor. 17. *æquabilis omnium humorum vacuatio, quæ exactiſſima habetur, ſectione venæ adminiſtrari ſolet, quæ proximè ad hanc accedit, ſcarificatis, vt facere conſueuimus, fit malleolis.* Quod auxilium apud Hiſpanos pro curatione morborum, qui infantes infeſtant, eſt vſitatiſſimum, & felici experimento etiam Veronæ confirmatum.

XVI.

Scarificatio in his febribus ſit mediocris, quam magis amplectabatur Galenus 2. ad Glauc. cap. 7. Solet namq; ob ingẽtem malignitatem quandoq; adeo diſſolui retentrix facultas, vt vix poſſit vel ipſo igne cohiberi ſan-

guis : quod in prognosi sit vobis inter signa pessima . Obseruauit in Peste Zacutus lib. 3. prax. admir. obseru. 42. Per mediocrem igitur scarificationem minus periculi imminet : robusti tamen, & agrestes homines , nisi conspiciatur ingens retentricis laxitas, scissura indigent satis profunda: pueris contra leuis, ac superficialis sufficit . *In cunctis tamen* hoc periculum præcauete in hac maligna febre ; ab vna scarificata cucurbitula reliquas dirigite, si prima laxitatem ostendat, alias leuius scarificate .

XVII.

Naubus affixæ miram operam in reuellendo præstant , quin & euacuando : quandoquidem tan-

ta est natium cum toto affinitas, vt in illis speciatim scarificatio facta sit vicaria phlebotomiæ: vt notauit ex Auicenna l. 1. Fen. 4. cap. 21. eruditissimus Rhodginus, Lect. antiqu. Lib. 4. c. 8.

XLIX.

Inguinibus, ac sub alis applicatæ virulentiam à corde mirè extrahunt: quo auxilio in febribus laborioſis, quæ non cedunt *alijs remedijs*, ad partes ignobiles maleficus succus conuocatur, ad quas natura sæpe illum detrudere satagit, cum vtilitate mira.

L.

In diuersis præterea partibus solent scarificari, pro symptomatum va-

varietate. Pro derivatione in pertinaci syncipitis dolore, aut grauiori capitis affectu, summa cum vtilitate vertebris colli affiguntur: sic in febre singultuosa, regioni stomachi affixæ, & altius scarificatæ, pertinacissimum symptoma fræ-nant: quod nuper obseruastis in Monacho Franciscano, à continuo, ac maligno singultu hoc auxilio liberato. Non defuerunt etiam, inquit Anonymus lib. de cucurbitulis, qui plantis pedum applicarent: sic enim e medio corpore feruidum calorem attrahi, venenatos spiritus euocari: pestifera denique apostemata transferri posse, magno naturæ solatio existimabant: vt annotauit, & comprobauit Doctiss. Seuerinus, Pyrotech. Chirurg. lib. 2. part. 2.

Vte-

XX.

Vtero gerentibus hac febre correptis, quibus non ita tutum est venam scindere, affiguntur cucurbitulæ brachijs, supra musculum deltoidem, facta mediocri scarificatione: quod tamen, nisi in vrgentissimo capitis, vel faucium affectu, nolite tentare pleno corpore, & nisi aliquid magnum impediat, mittite prius sanguinem a vena communi, aut cephalica, nunquam à Basilica, quæ facile abortum excitat: deinde vigente necessitate, ad brachiorum, & dorsi supra Omoplatas, scarificationem accedite. Si tamen non liceat venam tundere, & fueritis coacti, ad scarificationem statim deuenie: præcedat saltem leniens, ac detergens medicamentum, quod

ſaburram deorſum trudat, ne prompta ſit materia cruda, quę per ſuperiores cucurbitulas ſurſum noxiè deferebatur venas ſubita.

XXI.

Cucurbitulæ Siccæ

Poſt primas euacuationes, ſemper optimæ: nam in hac præſertim puncticulari febre, à centro ad circumferentiam corporis infectos ſuccos, & deleterios halitus euocandi gratia nullum præſtantius auxilium, non ſolum lumbis, & ſcapulis, ſed ſterno, & coſtis, tam dextris, quam ſiniſtris: non ſolum ſemel in die, quod ſaltem ſic fiat moneo, ſed bis, & ter, & quoties expedire videatur, multiplici repetitione affixæ, & pro

va-

varietate accidentium, huic febri ſuperuenientium, varijs pariter in locis, & ſiccæ, & ſcarificatæ ſolent applicari: puta, occipiti, ſummis brachijs, imo ventri, aut Hypochondrijs, ſecundum ſymptomatum occurrentium diuerſitatem: reuulſionem ſæpe, quandoque deriuationem, euacuationem ad externa ſemper procurando.

XXII.

Pro reuulſione à capite, vt ſæpius opus eſt, incipiat Chirurgus cucurbitulas affigere ab infernis partibus ſenſim procedendo ad ſupernas. In his, circa caput nempe, apponat humiliores, & quę fuerint amplioris orificij; minus namq; iſtæ trahunt, in

imis

imis vero partibus affigantur elatiores, & quæ anguſtũ os habeant. *Illis namque competunt*, ait Oribaſius apud Galenum, *in quibus ſcarificatione quidem non vtimur, ſed per leuium cucurbitularum applicationem vehementer attrahere volumus*. Orib. de cucurb. c. 16.

XXIII.

Præterea cum mediocri flamma affigantur, & ſi à centro validius fuerit opus attrahere, etiam cum multa, ſatis longo ſpatio teneantur affixæ, niſi ſcarificandæ fuerint: in his enim breui auferantur, ne denſatus ſanguis exitum per vulnera impediat. Eliminetur Italorum abuſus, cucurbitulas in labrum aquæ calentis imponendi: ſic dum curioſius tractare ægrotantem cupiunt, copioſa

aquæ

aquæ affusione magnopere lædunt, eò magis, si ambiens fuerit subfrigidus. Apta est pro hypocaustis consuetudo pro sanis corporibus abluendis; at ægrotantibus nimis importuna. Ista etsi leuiora videantur, non tamen in praxi sunt contemnenda: & hoc ordine semper à cucurbitulis siccis vtilitatem reportabitis.

XXIV.

Frictiones

Eadem ratione fient non duræ, aut valde frequentes, ne ob assiduitatem, aut duritiem, cutim densent, & febrem augeant: neque nimis molles, ne propter multitudinem succorum digestio prohibeatur: mediocres fiant, quæ vel ob id mirabiliter puncticulati febrî opitulantur, quod protractis, & se-

mi-

minarijs,& in halitum digestis,experimento videamus protinus ab argore ægros quiescere: præsertim si fiant circa pectus,& dorsum,mirè namque succos prauos à corde euocant. In cruribus, & iuris deorsum factæ optime a nobilioribus partibus reuellunt, & totum corpus euacuant. Quapropter ab his,vt & à cucurbitulis siccis desistendum non est,donec veneni vis, & accidentia quodammodo mitescere videantur: moliri autem huiusmodi fricationes oportet linteis asperis, vel etiam leuiter inunctis manibus cum oleo amygdalarum amararum; fiantque semper ante prandium,vel ante cœnam.

XXV.

Inunctiones

Eandem intentionem, etsi non

ita

ita efficaciter, adimplere poſſunt, præſtantius tamen cutim diſponunt, vt per cucurbitulas, aut frictiones poſtmodum euaporatio ſuccedat: quin & reſeratis portis excitatur ſudor ſæpe in hac febre admodum expetitus. Fiunt vel ex ſimplici amygdalino dulci, vel amaro, aut chamęmelino, ſi fortius euocandi vrgeat occaſio, oleo, aqua, & modico nitri: quam Aetij inunctionem vocant, quæ ſic aptè parabitur. Rec. olei amygdal. amar. vnc. 2. aquæ vnc. 1. fiat decoctio ad conſumptionem aquæ, mox adde nitri drac. 1. pro linimento.

XXVI.

Vngi ſolet præterea corpus, & foueri decoctis chalaſticis pleriſque, aut oleis calidis: vt eſt oleum Scorp. Mathioli, oleum citrij,

& alia ; quæ caute tamen adhibeantur, corpore scilicet satis euacuato, in febris remissione, aut mane ante exacerbationem, corpore, aut tempore non valde æstuantibus: ideo hæc prosunt præcipue feminis, & corporibus magis pituitosis, nec multum calidis: item in frigidis temporibus, in quibus rationi consonum est cutem quodammodo esse densiorem, & humores crassiores: chalastica sunt decocta chamęmeli, altheæ, rorismarini, meliloti, fęnu græci, & similium, quibus ratefacta cutis, ad punctiularum, & sudoris exitum recte disponitur:

XXVII.

Epithemata

Exterius regioni cordis, aut alijs corporis partibus appositæ; mul-

multu in febre puncticulari merito eliminant, præsertim si sint frigida, & emplastica, quia cutem opplent, & euaporationem potius impediunt: attamen liquidoribus licet frigidis, si ad penetrationem pauca calida, & tenuia admisceantur, quotidie feliciter vtimur, si præsertim tepida apponantur. His non obstantibus, vnguentum florum arantiorum, quod Neapolitani, ab Hispanis, vocant manteca, nolite prætermittere: est enim admirandæ virtutis in corroborando corde, & halitibus tetris, ac malignis edomandis. Huic soleo admiscere pulueres diamarg. fr. & guttulas olei scorp. Mathioli: itemque succi citrij, limonis, aut aceti sambucini totidem. Liquida tamen epithemata conficite ex aquis flor. citrij, bugloss æ, rutæ capratiæ, cardui benedicti, & cordiali Saxoniæ

niæ an. in quibus confectionem Hyacinthinam, ſpecies cordiales diſſoluite, additis guttulis aceti ſambucini, & gutta vna, vel altera eſſentiæ croci, aut citrij.

XXVIII.

Ventriculus, hepar, & ipſa ſummam curam expetunt: corroboretur hoc ſucco cichor. additis ſpeciebus trium ſantalorum, aut Diarrhodonis Abbatis: at ille, oleo abſinthite, & nardino, quandoque maſtichino, aut menthæ, cum ſp. aromatici roſati: nec pars poſtica e regione ventriculo reſpondens, ad ſpinæ vertebras intacta relinquatur: ea namque parte delinita efficacius foueturventriculus, euidentiuſque recreatur

Veſi-

XXIX.

Vesicantia

Sola Italia habet in frequenti vsu in febre puncticulari introduxit vsum Hercules Saxonia Parauinus, vir insignis, non sine multa contradicentium altercatione: vicit tamen auxilij præstantia, & rei ipsius experimentū ceruicosos superauit: In febribus pestilentibus, & malignis nihil præstantius: reuellunt namque acria medicamenta artubus apposita succos ad caput, visceraque vergentes, ait Galen. lib. de cucurbit. c. 19.

XXX.

At circa huius insignis auxilij vsum cauete, ne in abusum perperam abeat: ne indiscriminatim, ac

sine

ſine delectu cunctis præſcribatis ægrotantibus. Non ſemper ſolet prodeſſe, vt in hac epidemica conſtitutione obſeruaſtis: imò multos abſque veſicantibus perfectè liberatos vidiſtis. Aduertite diligenter cuinam temperamento, aut humori magis adhæreat inconſtans iſta febris. Si ſanguineum, aut bilioſum temperamentum corripiatur, abſtinete à veſicantibus: ſi pituitoſum, aut melancholicum, ſecurè ijs vtamini.

XXXI.

Signa horum temperamentorum recolite ſuperius ex ſect. 3 illa, quia facilorem motum à natura ſortita ſunt; & quia acriora facilius naturam ipſam irritant, perfecta criſi, niſi impediantur, leuari ſolent; quòd ſæpe faciunt veſican-

tia:

tia: ista vero quia pigriora in motu, & minus acria, non ita facile à natura reguntur, quæ segnius per istos humores ad crises accingitur: quare vesicantibus iuuari solet, quæ per sensim factam euacuationem crisis vicem apprime supplere valent.

XXXII.

In sanguineis igitur temperaturis crises laudabiles expectato, nisi nimis excellens malignitas sanguinem corrumpens, robur virtutis omnino oppresserit. In biliosis, & siccioribus, præter vigilias & ingentes dolores, quos vesicantia inferunt, vel vlcera excitant dysepulotica, & quæ facile cacoëthiam induunt: vel nullo attracto peccante succo, sæpius vos frustratur spes. In melancholicis, & pituito-

tuitosis, in quibus præ cæteris conueniunt, hoc aduertite, ne in cruribus tumores sint scorbutici, aut œdematosi, qui in viscoribus arriguant, cacheriæ rudimentũ facile in. in necroses immedicabiles delabetur æger: vt Nobili Comitissę Seraticæ Veronensi nuper contigit.

XXXIII:

Senes primi senij, & succulentiores hoc remedium facilius ferunt, nullo pacto ex succi, aut decrepiti: Pueri satis feliciter. Isti, quia ingentes cruditates propter voracitatem congerunt, quæ hoc auxilio tanquam per pyrotica sensim educuntur: illi, quia etsi robusti, expultricem tamen habent valde fractam, vnicã crisim perfectam moliri impotentem. Quapropter hac vesicantium epicra-

si

optime iuuari contingit.

XXXIV.

Tempus administrandi est principium morbi, non status, vel quando ægrotantes iam sunt extinctioni proximi. Nec timendum, quod à crisi in statu futura auertatur natura: namque euacuatio salutē factura exspectanda non est in pestilenti, & maligno affectu. Quamobrem securior est ea morbi solutio, quæ paulatim, & sensim fit, quàm quæ necessario pugnam requirit, ex qua raro victrix euadit natura. Satius tamen erit affigere post vnam, aut alteram euacuationem, à primo lenienti medicamine scilicet, & à sanguinis missione aliqua, quomodocunque fiat.

XXXV.

Apponuntur frequentius brachijs supra carpum, vt tamen relinquatur locus medico tangendi pulsum: & cruribus supra malleolos, 4: digitis, parte domestica. Solent etiam coxis supra genu affigi, sed præsertim feminis, quin & alijs partibus, pro accidentium varietate.

XXXVI.

Nec desunt qui plantis pedum affixerint, non Vesicantia solum, seu sinapismos, sed cauteria guita. Sed hoc importunum valde, nec nisi in vrgentibus capitis affectibus celebrandum: vt in lethargo desperato, & hęmorrhagia narium extrema vsus est solertissimus Zacutus lib. 5: prax. Hist. nu. vij.

Mi-

XXXVII.

Mitius sunt auxilium epispastica malagmata plantis pedum applicata, quibus ab alto ad ignobiliora loca potenter retrahuntur peccantes succi. Malignam febrem curauit in muliere Marsinus, ex Riuerij relatu, cataplasmate ex cochleis, cum suis testis contusis, stupisq; superpositis, plantis pedum, quinta morbi die applicato, quo post dolores ingentes in cruribus, & sudores per vniuersũ corpus excitatos, adeo fœtida materia attracta est, adeo teter odor ex ablatis cataplasmatis exspirauit, vt vix adstantes sustinere possent. Remedium est non contemnendum, quod ex diuersis poteritis etiam dum conficere, calidis tamen, & attrahentibus: vt saluia, sampsu-

cho, ſinapi, & ſimilibus: quin & Thetiaca, aut Mithridatio, oleoque ſcorpionum mixtis.

XXXIIX.

Materia veſicantium eſt varia! Vtimini hoc cerato. Rec. canthar. præparatar. unc. ſemis, euphorbij, ſinapi ana. drac. 1. ſeminis ameos drac. ſem. ceræ, reſinæ, terebintinæ q. ſ. m: f. ceratum ſ. a.

XXXIX.

Hirudines

In melancholicis temperamentis, optimæ ſedalibus venis affixæ, dum parca ſanguinis euacuatione opus eſt, aut pto largiori non ſuppetunr vires. Quouis morbi tempore: in progreſſu, pro reuulſione, à capite præſertim: in principio, pro euacuatione, quæ quantumlibet

bet copiosa succedet, si cum balneo vaporoso fiat, post remotionem hirudinum, aut lumbis, aliquo vrgente symptomate. Sed in hoc administrando auxilio aduertite, vt extracta sufficienti sanguinis quantitate, adstringentia inspergantur venarum osculis, vt sistatur sanguis, qui sæpenumero, in melancholicis præsertim, qui sanguinem habent valde aquosum, cum difficultate sistitur.

XL.

Hirudines præterea *remedij causa corpori adhibitæ*, ait Plin. Lib. 32. c. 10. *aliquando affixa relinquunt capita, quod vulnera insanabilia facit, & multos interimit: vt contigit Meßalino Consulari Patritio, cum ad genua admisisset.* Et nos in Gallia vidimus

puerum, cui ab affixis dorso hirudinibus, nullis auxilijs potuit cohiberi sanguis, donec obierit. Alij, qui prauis, & corruptis scatent humoribus, & qui phymate, aut fistula circa anum fuerint aliquando correpti, si negligantur hirudinum vulnera, in gangrænas incidunt immedicabiles : vt notauit Gesnerus doctissimus, præsertim si non bene purgatę fuerint hirudines, aut aliquid virulenti à lutulentis dumetis contraxerint. Sed si ista rectè præcaueantur, & remedium administretur, vt decet, mirum in modum in febre puncticulari opitulatur: & tum à vena caua, tum a venis circa hypochondria educit sanguinem tetrum, & fæculentum, absque considerabili virium iactura : nec valde à circumferentia ad centrum retrahit, vt aliæ maiores euacuationes.

Omni

XLI.

Enemata

Omni morbi tempore vtiliter injciuntur communia, emollientia, humectantia, refrigerantia, anodyna, & in raptu ſuccorum ad ſuperiora, etiam acria: vt in ſomnolentia nimia, aut vigilia. Cæterum cum cautione, nec abſque delectu nimis frequentes poſſunt prodeſſe, cum enematum aſſiduitate leuiter retrahantur ſeminaria à cute ad centrum corporis; ab acribus etiam non leuiter: quin ſæpe criſes impediuntur, & in aluum ducuntur humores inuitis: cum moderatione tamen, & debito tempore iniecta naturam valde leuant, vt contra humores peccantes, exonerata validius inſurgat. Aëtius per ptiſanæ ſuccum, ouis, & violaceo temperatum aluum humectam noctu tenet.

XLII.

Qui debet injicere clysterem, attentus, & vigilans sit oportet, ait Zacutus lib. 3. Prax. admir. obseru. 142. qui ex enemate actu calidissimo subsecutam mortem scribit. Et nos certo scimus Nobilis. Heroinæ Diadamiæ Gambaræ Brixiæ decori, & ornamento, supra sexum sapientissimæ mulieri, mortem acceleraſſe nimis calidum injectum enema, quo maligna febris cum dysenteria coniuncta (pro qua medicanda fueramus accersiti) ita exacerbata est, adeo in læsam aluum debacchata bilis æruginosa, vt serpente nimium in torrefactis intestinis tetro vlcere, cum omnium lacrymis diem obierit.

Sup-

XLIII.

Suppositoria quodammodo enematum efficaciam æmulantur, & forsan aptius rem perficiunt, dum minus intestina effeminant, minusque à circumferentia corporis introrsum trahunt.

PHARMACIA.

Sectio VII.

Agitur de lenientibus, præparantibus, alterantibus, potu aquæ frigidæ. Purgante medicamento radicatiuo, minoratiuo; & occasiones exhibendi perpenduntur.

I.

LIcet in hac febre, prout valde communicat cum pestilenti, humores sint, vt plurimum, incoctiles, attamen quædam præparantia debent ad vsum reuocari, quæ singulis coctionis impedimentis se possint opponere: solet enim in hac febre talis humorum mixtura

repe-

reperiri, vt licet coctio emendet putredinem in vna parte capaci, in alia non possit: imo agitata per coctionem humorum mixtura, exsurgunt partes quædam vapotosæ, aut tenues, in quibus malitia hæret, quæ in viscerum nobiliorum intima se insinuantes, ægrotantes perdunt. Ne vos igitur effugiat ista tam necessaria contemplatio, vt præparantia præscribatis, quæ reprimendo putredinem, coctionem in parte coctili adiuuent, & partis incoctilis iam agitatæ prauum motum, & malignitatem retundant.

II.

Syrupi borraginis, portulacæ, cichorei, de succo granatorum, acetosus simplex, de oxalide, de acetositate citrij, de succo limo-

num, de agrestа, ribium, berber. de rubo Idęo, & alij feruorem extinguendi, acrimoniam retundendi, & dissolutionem spirituum cohibendi facultate pollentes: quibus addere oportet maiorem quantitatem aquæ, aut decocti scorzoneræ, scordij, pentaphylli, aut hordei, vt permeent facilius.

III.

Apozemata ex decoctis herbarum idem præstare poterunt, aut iuscula eisdem alterata: sed iucundius, & vtilius ex aquis stillatitijs paratæ potiones; vel ex aqua lapideo mortario percolata (quo beneficio maxime gaudent Hispali,) addito aliquo syrup. & puluere cordiali; vt sint aquæ vn. 12. syrup. vn. 2. pul. diamarg: fr. drac. ſ. aut de gemmis sine speciebus, aut marg.

præ-

præparat. aut confectionis Hyacinthinæ, additis 4. aut 5. gr. lapidis bezoardici, aut cornu monocerotis.

IV.

His affatim vti oportet, modo non fit mox à pastu, ne coctiones interturbentur. Sic apozemata, & iuscula alterata horis commodioribus, tum matutinis, tum vespertinis, etiam vigente accessione.

V.

Si ad ventriculum, aut prope confluant humores, prædictos syrupos exhibere oportet, citra tamen alicuius liquoris permistionem, ne forsan eo tanquam vehiculo in loca penitiora se condant humores praui, quos potius pe-

vo-

vomitum expelli optat Hipp. dum ſæpe exhibet cum emolumento aquam frigidã, vt vomant, *bilioſa enim aderunt*, ait 4. epid. tex. 133.

VI.

Potus aquæ frigidæ

Et ne præſtantiſſimum, ac præſentaneum auxilium in hac febre, (præſertim ſi ardens fuerit,) intactum relinquam, rei periculoſiſſimæ, & maxime in occaſione poſitæ doctrinam accipite. Sed moneo, ne temere hanc prouinciam ſuſcipiatis: infinita namque, & irreparabilia damna ab vno errore exurgent. Non paucos vidi, quos repente vita priuauit aqua frigida, naturali ſimul cum igneo calore extincto. Valde robuſtis, & ſecundum partes omnes internas, præci-

pue

pue nobiles, abundantibus naturali calore, tantummodo est exhibenda, cum febre nimirum ardentissima, siue talis sit intensione caloris, siue ingenti acumine malignitatis.

VII.

Quando propter ista impedimenta humoribus coquendis, aut causæ amouendæ non licet medico insistere, sed neglectis his, ad febrē extinguēdam properandū est, optimum erit frigidam propinare. *Nam fieri* (inquit Gal.) *aliquando potest, vt ea sit febris magnitudo, quæ præsentem perniciem, nisi occurras, afferat, quo casu oportebit hac prius submota, ad submouendam causam deinde accedere. Ego enim talium quoque non paucis frigidam dedi, tutius esse ratus, phlegmonas ad præsens augere, quam sinere hominem*

se-

febrem hecticam incurrere.

VIII.

Nec ſolum hoc in cauſone fieri exiſtimetis, ſed proinde in peſtilenti maligna, ac puncticulari febre, etſi non multum calor emicet, nec humorum coctio adſit lib. 6. *popul. com.* 1. Caloris ſolum, licet non valde ſe exerentis, infringendi gratia, exhibuerunt veteres aquam frigidam, eamq; copioſam, quæ ſola poteſt latentem illam, ac peſtiferam humorum vim cum manifeſta qualitate coniunctam mirabiliter extinguere, idque affatim, & copioſe bibitam: nullam enim certam frigidæ doſim expreſſit Galen. ſed quantum ægrotus poſſit bibere, aut quantum vno hauſtu ingurgitare. Cæterum ex ætate, habitu corporis, anni tem-

tempore, & consuetudine modum metiri oportet.

IX.

Occasionem exhibendi circa augmentum quærite, quando vomitus, qui per eam solet prouocari, non valde noceat; alioquin in hac febre propter retractionem halituum prauorum ad interna, perniciosus vt patet ex hist. Simonis 6. *Epid. com.* 2. 23. Cum igitur vomitus solum in principio vtilis sit, isque copiosus esse debeat, vt sit vtilis, simulque febris adsit ingens, tunc vicibus repetitis exhibeatur, vt vomatur: additis interim nonnullis, quæ seminaria respiciant, guttula scilicet aceti sambucini, aut acetositatis citrij, limonum; spiritus sulphuris, aut chalcãthi. *Biliosa forsan ade-*

aderunt, ait Hipp. Sed inuenire ad vnguem occasionem illam, tam difficile, quam esse medicum.

X.

Purgatio

In principio est admodum necessaria: ante septimam, si adsint tensiones, ac cruditates in vijs ductuum, præcedat leniens, ac detergens medicamentum, ita tamen ingruente malo, aut si præ temporis angustia non suppetat occasio, injiciatur enema satis validum, deinde facta sufficienti sanguinis extractione, iterum repetatur medicamentum purgans sexta die, quæ satis oportuna videtur ad hoc opus peragendum, nisi morbus moueatur per partes: quod maxime in principio considerandum, vt supra diximus, aphor. 5. sect. 2. tunc

pur-

purgatio in tertiam diem incidat oportet, aut in noctem, quæ illam præcedit: nam prima, & secunda dies accessione, & exacerbatione febris magnopere veniunt impeditæ. Quod si ante quartam non suppetat occasio purgandi, quod maxime foret expetendum, & quidem valido medicamento, vt completa euacuatione, illud succedere posset, quod Periclì Abderitæ, circa quintam, quærite occasionem, cauentes sextam, propter motum maligni morbi, & septimam propter diei dignitatem, ita vt quomodocunque moueatur morbus, si fieri possit, id ante quartam facito: sin minus, in motu per pares, ante sextam, quinta nimirum, vel illius nocte: in motu per impares, ante septimam, sexta videlicet, vt dictum est.

Quod

XI.

Quod tamen (vbi malignitas putredinem ſuperat) fiat leuibus pharmacis, caſſia videlicet, manna, tamarindis, ſyrupo roſarum ſolutiuo, ſyrupo de floribus perſicorum, de mercuriali, Regio, cuius elegantior deſcriptio hæc eſt: Rec. infuſionis roſar. pallidar. ex nouem permutationibus, infuſionis violarum ex decem permutationibus; aquę fœniculi, in qua vnc. ij. ſennæ orientalis ſpatio horarum 12. infundãtur ana lib. 1. Miſceãtur iſtæ tres infuſiones, & cum ſacchari purioris, & mannæ electę ana q. ſ. fiat ſyrupus, additis cremoris tartari vnc. 11. ad clarificationem infiltratione per manicam Hippoc. Doſis vnc. VI.

XII.

At in robuſtis, ac exercitatis hominibus, ad primas venarum cruditates vacuandas, etiam infuſio agarici, aut rhabarbari exhiberi poteſt: quod in delicatis, & vrbanis, & quibus non admodum eſt laborioſum viuendi genus, nolite moliri, præſertim dum morbus prope ſeptimam eſt, vel feruorem iam contrahere cœperit.

XIII.

Vbi vero morbus magis putredinem prodit, quam venenoſam qualitatem, in delicatis etiam, ijſdem vtemur medicamentis; verum prima, ſecunda, vel ad ſummū tertia die, antequam cruditates in venas maiores ſe inſinuauerint

rint: hoc tempore namque nondum ingressæ, facile educuntur, & simul cum ijs aliquid putridi humoris pariter excernitur: vbi vero iam ingressæ fuerint, leui pharmaco non cedunt, imò magis commouentur, coctiones interturbantur, efferuescentia augetur, ac seminaria penitius commiscentur. quod multo minus impune tentabitis, vigente succorum efferuescentia, vt iam obseruastis. *Cauere namque oportet*, (dicebat Galenus 4. de sanit. tuend.) *vbi in solidis partibus mordacia redundant excrementa, reuulsionem ad interiora*.

XIV.

Quapropter semper purgationem ante humorum efferuescentiam celebrate; nunquam tamen post septimam diem, nisi decima quar-

quarta transacta: circa enim septimam plerumq; solent apparere signa effervescentiæ, ex pulsuum agitatione, vrinarum crassitie, aut confusione, maculis, & alijs accidentibus grauioribus; nonnullis etiam, & quarta die, quibus morbus peracutus est, aut venenosa qualitate insignis, quæ effervescentia nõ cessant, donec decimaquarta, aut etiam pituitosioribus, & magis melancholicis, decimaseptima, aut vigesima prima finierint.

XV:

Dato intra hoc tempus medicamine, semper male successit in febre puncticulari, & sæpe obseruastis: nam præter ingentem succorum agitationem, talis orgasmus malignis humoribus imprimitur, vt a circumferentia ad centrum re-

retracti, in nobiliſſima viſcera quam primum ituant, eaque immani, ac virulenta qualitate corrumpant: efflorescentiæ quæ ad cutim apparere eo tempore incipiunt, infelici palindromia delitescunt: vesicantia si quæ appoſita fuerint, in quibus maxima ſpes poſita est, protinus arefiunt: fracta tandem, ac motibus iſtis contrarijs laceſſita natura, neceſſe eſt vt corruat, & ante illum humorem, in quo maior reſidet malignitas, victa cadat.

XIV.

Si craſſus is fuerit (vt ſolet) educto per medicamentum tenuiori, tanquam facilius mobili, ac ſequaci, remanet intus alter perniciosior, ex quo infinita damna, ſtupores, obliuiones, typhomaniæ, ſom-

nolentię, vrinę ſuppreſſiones, & mil le alia : ſi tenuis fuerit, quia pe-paſmi expers, & inobediens, ãtum abeſt, vt medicamine educatur, quin potius effræuis factus, ac tur-bulentior in totam humorum maſ-ſam, quin & in viſcerum ipſorum humidum radicale, & ſubſtantifi-cum penitius ſe inſinuet, ſequente poſtmodum totius corporis lethali colliquatione.

XVII.

Si vero violentum aliquod an-xietatis, aut doloris ſymptoma cir-ca vẽtriculum, & inteſtina magno-pere vigeat, quod purgationem tunc temporis expoſcere videatur, coacti, exhibete aquam mannæ, ta-marindos, aut caſſiam. Hippocra-tes ſubpurgabat mercuriali : vt conſtat ex Cydis filij hiſtoria, cui

mercurialis decoctum ſorbendum dedit ſexta die, & iterum vndecima; non tamen impune. *7 epid t. 6.* Sed notate ſub purgationem tentare Hipp. non integram purgationem, aut lenientem: magni momenti differentia in eis poſita eſt, quando agitur de curatione punctícularis, aut peſtilétis febris. Abſtinete in hoc caſu à trito illo electuario lenitiuo, & ſyrup. roſarum ſoluriuo; plerumque nimis agitant, propter ſennam, aut polypodium, quæ in iſto caſu, de quo nunc agimus, numquam impune exhibentur: præſertim ſi ſit ſyrupus ille aureus ex roſis ſilueſtribus meſchatis, ex quibus pernicioſum, violentum, & corroſiuum paratur pharmacum, incuria Medicorum ſub lenocinio, & fuco delicatæ potionis inuectum, Magiſtratus certe decreto potius eliminandum.

In

XVIII.

In remissione febris, & morbi declinatione, pariter à validioribus medicamentis cauendum est: nisi quod in rusticis, & agrestibus hominibus aliquando operæ pretium erit syrup. ros. solutiuo admiscere drac. 2. vel 3. alicuius electuarij purgantis, iuxta humoris ideam: in delicatis vero non transcendat violentia vestri purgantis dilutum agarici, aut rhabarbari, cum syrup. rosat. solutiuo, syrupo regio, cassia, aut manna: nam facile violentioribus noua excitatur efferuescentia peior priori. Tanta est huius morbi virulentia, vt semper reliquiæ quædam leues per longum tempus remaneant: aliquando non ita leues, sed dolores pertinacissimi in aliqua corporis parte

fixi, vt in crutibus, brachijs, oculis: vt in fabro lignario nuper obseruastis, qui in declinatione morbi strabo factus, ac tandem præ dolore oculum amisit.

XIX.

Sed de minoratiua purgatione, ea scilicet quæ per medicamentum validissimum, aut ex mediocribus, electiuum tamen, non leniens, celebratur in morborum principijs, quid timere debeatis in hac febre puncticulari, accipite, & alta mente reponite: nam multos inuenietis, qui statim ingruente febre, indistinctè, & sine delectu omnibus exhibent violentissima pharmaca, scamoniata, vel antimoniata: vt pulueres Algarotti, Cornachini, crocum metallorum, gratiolam herbam, semina lathyri-

dis,

dis, & similia. In febre puncticulari, ea præsertim, quæ per externa seminaria introducitur, omnino ab istis abstinete. Jam vobis signa descripsi, quibus etiam primo die laruatum hunc morbum cognoscatis.

XX.

In alijs febribus putridis non malignis, turgentibus, aut vrgentibus succis, mirum in modum ista opitulantur, si is morbosus apparatus in orgasmo constitutus eadem die educatur: & licet maligni, & venenati succi vicem turgentium subeant, ac ideo quamprimum educi postulent, hoc intelligite, in excellenti putredine, aut veneno hausto, vel intus genito, aut alijs incoctilibus succis, vbi per cutim non incipit infectio à seminarijs contagio

communicatis; in huiusmodi enim febre puncticulari, optimum erit in vero principio morbi, si fieri possit, valenter expurgare, & apparatum minuere, si non vehementissimis pharmacis, saltem mediocribus, ac electiuis: sic enim natura supra residuum fortior facta, illud facile vincet, ac superabit; his tamen semper admiscete corroborantia, & rem valde arduam, ac periculo plenam, cum magna præmeditatione, vt docebat Hipp. peragite.

DE ALEXIPHARMACIS.

Sectio VII.

Quibus contra prauam qualitatem in hac febre pugnatur.

I.

ALexipharmaca statim à principio sunt exhibenda.

II.

Non quoduis alexipharmacum cuiuis corpori, febri, aut affectus tempori indistincte adhibendum: sed vnicuique, pro veneni, humoris, febris, aut corporis natura, suum inest proprium, & peculiare alexipharmacum: nam mul-

tis frigida vices alexipharmaci præstant : alijs calida ; pleriſque ſicca ; pluribus acida ; & ſic alijs alia , iuxta rationem modi operationis veneni , aut ſubiecti humoris, aut corporis laborantis.

III.

Alexipharmaca neceſſario debēt habere manifeſtas qualitates putredinis , & humoris conditioni contrarias: quoniam ex vtroque vitio conſtat huiuſmodi affectus, putredinoſo nimirum , & venenoſo, ac maligno .

IV.

Alexipharmaca frequentius porrigenda ſunt , & cum cibis, & per ſe ſæpius , vt ſemper opem ferant naturæ . Offerantur vt plurimum

in

in puluerem redacta, vt in ventriculo immorentur, aut pilulari forma: licet quandoq; ,imo oportet, dum interna, & recondita est contagiosa qualitas, potibus aliquid eorum admiscere.

V.

Alexipharmaca quæ à proprietate occulta operantur, non misceantur, sed seorsum debēt exhiberi. Sicuti enim occultum est, quare talem effectum, & operandi vim sortiantur; sic etiam potest contingere, vt sibi inuicem obstent: vt in duobus venenis succedere certum est. Quare vel vnico tantum iam experto vti oportet, vel si diuersis, seorsum exhibitis, donec appropriatum inueniatur.

Nec ideo existimetis eliminandas esse insignes confectiones

bezoarticas, quarum miri obſeruantur effectus : iam illæ ſua fermentatione vnicum temperamentum acquiſiuerunt, & tanquam vnum quid ſimplex alexipharmacum, ſed potentius, vſurpantur.

VI.

Alexipharmacorum duplex eſt genus, aliud pugnat aduerſus veneni effectum, aliud aduerſus ipſum venenum.

In primo genere continentur ea, quæ ſua ſiccitate, & compoſitione continent, & firmant mixtum, ne à ſordida veneni putredine diſſoluatur, ac corrumpatur: vt terra ſigillata, bolus armena, corallia, cornua cerui, rhinocerotis, monocerotis, ſapphirus, hyacinthus, ſmaragdus, os de corde cerui, electuarium de gemmis, ſyrupus

pus gemmatus, Antidotus Bezoartica F. Ponæ, Lapis Bezoar, quæ & venenivires frangunt, & comprimunt, ne ad cætera membra pergat, spiritus firmant, & roborant; Quapropter his à principio in omnibus corporibus, & naturis, & humoribus vtendum censeo.

VII.

In secundo genere ponuntur, aut quæ spiritus veneficos vrunt, dissipant, & consumunt: vt Theriaca, Mithridatium, Antidotus de scordio Fracastorij, angelica, dictamnus, lapis Malacensis, puluis viperinus: & quæcunq; cordialia calida sunt, aut quæ venenosam qualitatem refringunt, & extinguunt: qualia sunt frigida, & sicca omnia cordialia. Hæc sensim, & paulatim adhibenda sunt, pro

virium imbecillitate, & quanto hæ firmiores sunt, tanto his remedijs liberalius vtendum.

VIII.

Illa etiam, quia calida, cum cautione exhibenda in frigidis, & febre remissa, cæterum maligna.

IX.

Frigida sunt, veluti mica panis succo limonum, arantiorum, agrestæ, acetosæ, aut aceto madefacta, & mane ingesta; acetosæ folia cum aceto, pulpa viridium tamarindorum sacchato condita, & multa alia frigida, in puluere, decocti, aut pilularum formam redacta:

Ale-

X.

Alexipharmacorum pariter, quę à proprietate venenis resistunt, duplex est differentia; aut sine analogia, aut cum ea ad aliquod membrum, & sunt ex natura mixtionis temperata. Primi generis sunt gemmarum, & lapidum plures; vt granatus, qui cor respicit, smaragdus cerebrum, sapphirus hepar, coralia ventriculum, Topazium theriacæ præfert Serapio. Achates, & margaritæ omnes, aduersus pestem valere creduntur; cornu monocerotis pariter, coccus Maldiuensis, radices anthoræ, contrayeruæ, & aliæ.

XI.

Hydrargyrum pectori appen-

sum

sum, genuino, & latenti odio venena fugat: hinc est, quod dulcificatum, & auro præparatum, vt decet, mirum in modum in hac febre puncticulari, pro expurgandis prauis, ac deleterijs humoribus, ad grana 15. & vltra exhibitum, cum conserua aliqua solutiua, opitulatur.

XII.

Lapis Bezoar, tum orientalis, qui si fuerit legitimus, certe præualet; tum occidentalis qui minori efficacia, sed maiori violentia operatur. Vterque vtilis, vel quotidie in parua dosi exhibitus, vel pro ciendo sudore, occasione debita, in maiori quantitate cum aquis cordialibus haustus.

Do-

XIII.

Dosis tamen huius alexipharmaci diligentiori perpẽ datur examine. Multos namque vidimus, qui huius sine vllo delectu ingentẽ granorum copiam exhibentes, tantum abest, vt quicquam profuerint, quin potius in ruinam inemendabilem egerint miseros languentes, auxilium infamantes, quod alijs fuisset saluti. In quotidiano vsu cum pulueribus cordialibus, vnum, vel alterum gr. Orientalis vsurpate; occidentalis vero ad tria grana circiter: quam normam in præseruatione sub pestilenti constitutione inuiolabilem obseruant Indi, quin & Hispani, autoritate Monardis, & Otopesæ Hispalensium; Salcedi, & Aluaris Lusitanorum peritissimorum,

nec

nec non Garciæ ab Horto, cuius Dialogi è Lusitano idiomate in Hispanum, & Latinum oscitanter translati, & vitiosè excusi, in errores pernicioſos circa huius veram dosin Clusium, & alios interpretes impulerunt.

XIV.

Si tamen opus fuerit, sopitam naturam ad crisim, præsertim per sudorem excitare, exhibete ad 7. gr. Orientalis, vel ad 10. Occidentalis, in aquis appropriatis: nec temerè hos limites transcendatis, quicquid vno, vel altero exemplo vrgeat Zacutus obseru. 35. lib. 1. de Med. princ. Hist. Præualeat apud vos doctrina Galeni lib. 5. sim. med. c. 18. dicentis. *Siquidem facultates quæ deleteria medicamina alterant naturam habent mediam inter corpora perpetientia, & medicamenta ipsa lædentia, vt videli-*

delicet eadem sit proportio corporis ad facultatem alexiteriam, quæ illius ad deleteriam, & rursum deleterij ad alexiterium, quæ alexiterij ad corpus: ea propter propemodum omnia quæ deleterijs aduersantur, si largius sumpta fuerint, grauiter corpus animantis oblædunt. Quamobrem ea moderatione quantitatis omnes id genus facultates exhibere oportet, vt neq; copia nimia corpus offendant, neque exiguitate sua à deleterijs vincantur.

XV.

Secundi generis sunt, quę etiam cum humoribus analogiã habent, veluti calidis, & æstuantibus febribus elect. ex tribus santalis; diamargariton frigidum; trochisci de spodio: de terra sigillata, de baccis oxyacanthæ, &c. frigidis vero, theriaca, Mithridatium, diarrhodon, Alchermes, & alia similia.

Mul-

XVI.

Multa etiam alia sunt, quæ omnibus humoribus analoga, & communia sunt: veluti est electuarium de gemmis sine speciebus, & confectio non satis laudata de hyacintho, quæ quidem cum latente tum manifesta qualitate omni veneno. Aduersatur quæ à Iouberto describitur est præstantissima, sed ingredientium nobilitate, a Neapolitana, & adhuc multo magis ab Hetrusca superatur: Harum accipite descriptiones, pariterque nobilium quarundam Antidotorum, quarum vsus in hac febre, ac omnibus alijs pestilentibus semper vobis laudi vertetur.

Con-

XVII.

Confectio Hyacinthina

Rec. Hyacinthorum elect. vnc. ſem. boli armenæ aqua roſacea lotæ, terræ ſigillatæ, dictamni, tormentillæ, carlinæ, been albi, & rubri, ſpicæ nardi an. dr. 2. nucleorum nucum iuglandium minime rancidorum, trochiſc. de camphora ana. drac. 1. & ſemis, grani tinctorum, croci, gentianę, myrrhę, roſar. rub. omnium ſantalorum, ſem. iuniperi, raſuræ eboris, cornu cerui vſti ana drach. 1. oſſa de corde cerui num. 2. ſem. citrij mundat. acetoſæ, bombacis, portulacæ ana drach. ſem. ſapphirorum, ſmaragd. margarit. ſerici crudi ana ſcrup. 2. ſem. rutæ, & ſantonici an. ſcrup. 1. ambræ griſeæ

ſcrup.

ſcrup. 1. ambræ griſeæ ſcrup. 2. moſchi orientalis ſcrup. 3. fol. auri, & argenti ana. num. 12. cum ſyrup. de acetoſitate citrij fiat confect. ſ. a.

XVIII.

Confectio Hyacinthina Neapol:

Rec. Hyacinth. orientalis drac. 2. ſem. ſmaragd. ſapphir. topazior. rubinor. ana. drac. 2. ſem. vtriuſq; margarit. ana. ſcrup. 2. ſem. corall. rub. alb. ana. drac. ſem. croci gr. 15. ſpodij, raſuræ eboris, ligni aloes, ana. drac. ſem oſſis de corde cerui, cornu cerui vſti, ſem. portulacæ, coriandri præparati, ſem. aceroſæ, been. albi. & rubri. rad. dictamni, tormentillæ, terræ ſigillatę, boli armenæ, roſarum ana. drac. 1. & ſcrup. 2. ſem. citrij drach. 3. fol. auri num. 30. moſchi, & am-

ambræ ana. gr. 10. cum syrup. limonum q. s. fiat confect. s. a.

XIX.

Confectio Hyacinthina Hetrusca.

Rec. Hyacinth. smarag. sapphir. topazior. rubinorum, granator. margarit. lap. Bezoar. corall. rub. præparati, vnicornu, ana. scrup. 2. cornu cerui philosophicè præparati drac. 1. boli armenæ, terræ sigill. rad. dictamni albi, tormentillæ, angelicæ, rad. vincetoxici, contrayeruæ, bistortæ, carlinę, scorzoneræ: ros. rub. ana. drach. 1. & scrup. 2. rasur. eboris drach. s. ligni aloes, drac. 2. sem. ossis de corde cerui num. 8. cinnamomi, caryophil. cort. citrij, scordij, sem. acetosæ, sem. endiuiæ, sem. portulacæ, sem. cardui benedicti, sem.

ſem. rutæ caprariæ, coriandri præparat. omnium ſantalorum an. drac. 1ß croci gr. 15. ſem. citrij ſcrupi 4. fol. auri. n. 30. ambræ griſeæ ſcrup. 1. moſchi gr. 8. cum ſyrup. de ſuccolim. q. ſ. f. confectio.

XX.

Antidotus Bezoartica Franciſci Ponæ Veronenſis Archiatri.

Rec. Lapidis Bezoar. orient. legitimi, Lap. Pauonij, ſeu Taoſ. lap. Malacenſis ex felle Hiſtricis, vnicornu legitimi, marg. orient. præparat. an. drac. ſem. (marg. multiplicentur deficiente Pauonico & Malacenſi, pondere illorum: ſed ex conſenſu, & exacto authoris examine, loco Malacenſis, & Pauonij, propter pretium, & raritatem, ſubſtituerem tophum ceruica-

capræ, ſingulari, & experta efficacia Hiſtricis lapidis æmulum) fol. auri, num. ſo. terræ ſigillatæ, boli Armeni lutei orient. coral. rub. præparati, ſmaragd. præparatorum orientalium, (nam occidentales habent aliquid corroſiui) ana. drac. 2. ſcorcioneræ Hiſpanicæ veræ drac. 6. tormentillæ mundæ recentis, anthoræ, biſtortę, pentaphylli, contrahieruæ, angelicæ, pimpinellæ, eryngij. ana. drac. 2. cort. citrij matur. in vmbra exſicc. flor. citrij nondum exclutorum, ſem. citrij recent prępari an. drac. 2. ſem. baccarum lauri, iuniperi. ana. drac. 3. card. benedicti, dictamni Cretici, calaminthæ montanæ, rutæ, ſcordij veri Cretenſis ana. drac. ſ. agallochi, zedoariæ, galangæ minoris, cinnamomi electi, caryoph. croci Corycij an. ſcrup 2. ſem. ocymi, amomi veri ana. drac. 2. rutæ,

Hype-

hypericonis, altheæ, ana, drac. 3. opobalſami legitimi, theriacæ Andromachi recentis, conf. Alchermes, Mithridatij, conf. Hyacinthi ana. vnc. ſem. mellis Attici deſpumati libras 2. & vnc. 3. m. f. elect. ſ. a.

XXI.

Confectio de Bolo Armena.

Rec. Boli Armenæ puriſſimæ aq. roſar. lotæ vnc. ſem. rad. tormentillæ, & angelicæ ana. drac. 2. corall. rub. raſur. eboris, corn. cerui, roſar. rub. ana. drac. 1. ſem. melonum, acetoſę, citrij excorticati, iuniperi, bombacis mundati ana drac. 1 ſem. aniſi, fœniculi, cinnamomi, xyloaloes, aut ſantali citrini, & maceris an. drac. ſem. fia. puluis, qui vſui ſeruetur, exqu

cum

cum ſacchato in aq. ſcabioſæ, aut alia cordiali diſſoluto, & gum. tragac. fiunt trochiſci, quorum drac. ſem. ſumitur ex iure pulli, aut aquis ſupradictis.

XXII.

Iulep ſiue extractũ Gẽmatũ M. D.

Rec Topaziorũ, Smaragdor. rubinor. ſaphiror. hyacinth. ſardæ, corall. rubr. ana dr. ij. ſupra porphyritem lapidẽ in tenuiſſimũ pulverem redacta, aceto deſtill. terq; rectificato excipiantur, & modo quo margaritæ præparentur: poſtea fragmenta preciosa ſic præparata ponantur in matracio vitreo oblongi colli, quibus ſuperponatur acetum deſtillatum, & rectificatũ, vt ſupra, ita vt ſupernatet duobus digitis: claudatur optimè, & in B. lucernę ponatur ad tinturę extractionem s. a. quæ tinctura in vrinali ponatur, & per B. euaporetur

omnis humiditas, & remanebit lapidũ extractio, cui ſuperfundatur aqua naphę ea quãtitate, ex qua dulceſcat extractum, & omnis remoueatur ſalſedo. Deinde Rec. moſchi orientalis drac. iij. Ambræ griſeæ electæ drac. ij. aquæ vitæ ex vino maluatico extractæ, & ter rectificatæ vnc. iij. extrahe magiſterium, ſiue extractum ſ. a. in B. M. & hoc ſerua ſeorſum, ſicut & illud gemmarum. Poſtea Rec. Electuar. Alchermes vnc. ij. de Gemmis vnc. j. ſem. de Hyacintho vnc. j. aquæ naphæ lib. ij. ſ. M. digere, & ſ. a. deſtilla per B. M. ad fæcum ficcitatem: cui aquę adde ſacchari candidi lib. iij. & coque ad conſiſtentiam ſyrupi: tunc remoue ab igne, & ei immiſce extractum moſchi, ambræ, & gemmarum ſupradictarum, & omni diligentia fiat lu-

le-

lepus, cuius Dosis à gutt. x. ad xx. per se, vel cum aqua aliqua cordiali, aut iusculo, secundum ægrotantis exigentiam: qua propter sæpius in die secure poterit exhiberi.

XXIII.

Aqua Cord. Saxoniæ vitriolata.

Rec. Succi borraginis, buglos. sæ, melissę, bistortę, verbenacę, oxylapati, acetosæ, tutiæ capratię, myrrhidis, cyani maioris, & minoris, rosarum, calendulæ, limonum, citrij ana vnc. 6. succi pin pinellæ, pentaphylli ana vnc. 3. aceti vini albi lib. 1. sem. portulacæ, fl. nymphææ ana vnc. 2. terræ Lemniæ, Silesiacæ, Armenæ ana vnc. 1. seminum citrij vnc. ſ. sp. triasantali drac. 6. marg. præpar. cum acido citrij drac. 3. infundantur species in succis, & facta macerationc per tres dies, destillentur per

alembicum vitreum : huius aq. exhibetur vnc. 1. mane, & altera fero. Sed Fonseca illam sic corrigit : abstinet ab aceto, citrij, & limonis succis, sine quibus distillare facit ipsam aquam, additis succi scorzoneræ vnc. 2. destillatam aquam reddit acidulam per essentiam vitrioli, adijciendo pro singulis vncijs aquæ, guttam vnam prædictæ essentiæ : nam aciditates vitrioli, sulphuris, & metallorum multo præstantiores sunt vegetabilibus, & magis venenum oppugnant, penetrant, refrigerant, obstructiones tollunt, vrinas, & sudores promouent: hoc modo correcta mihi magis arridet, propter rationes allatas. Hac vtimini : quæ poterit exhiberi ad. 2. vel 3. cochlearia, per horam ante prandium, & ante cœnam.

XXIV.

Antidotus de vni cornu dicata. Philippo II. Hisp Regi.

Rec. Cornu monocerotis veri drach. 1. sem. tormentillæ, galangæ, enulæ camp. corn. fraxini, ireos illyricæ, rad. caryophillatæ, eryngij, been albi, & rubri, ana. drac. 3. baccatæ, trifolij asphaltitis recentis, mentastri, scordij, betonicæ, verbenæ, melissæ, an. m. 1. sem. coriandr. ocymi, card. sancti, citrii, pęoniæ, an. vnc. sem. fucci cyrenaici drac. 2. Xyloaloes scrup. 2. ossis de corde cerui n. 4. gran. tinct. drach. 1. laccæ loræ drach. 1. sem. spic. drac 2. serici crudi drac. 1. terræ sigillatę vnc. 1. fol. auri num. 4. cinnamomi d. 2. zinzib. drac. sem. excipe cum

syrupo de ribes, vel de acido citrij, & sacch. & fiat conf. s. a Ab epidemico aere custodit, putredinem inhibet, viscerum obstructiones aperit, valet contra passiones cordis, & exanthemata pellit.

XXV.

Puluis Alexipharmacus Foresti.

Rec. Radic. Dictamni, tormentillæ, boli Armen. præparatæ cum lotione aquæ scabiosæ, terræ sigillatæ ana drac. vj tad. gentianæ, angelicæ, tunicæ, ana drac. ij. santali rubri drach. j. rasuræ eboris, cortic. citrij, corall. rubr. ossis de corde cerui, Zedoariæ, margaritar. orient. been v. triusque, ana scrup. ij. fragmentor. 5. lapid. pretiosor.

ſor. ana ſcrup. j. corn. Rhinocerot. ſuccini albi ana ſcrup. ſ. fol. auri, & argenti ana nu. iij. miſce fiat puluis tenuiſſimus: cuius exhiberi poteſt ſcrup. j. per horam ante cibum cum aqua cordiali, aut iuſculo.

XXVI.

Alius Ducis Mantuæ Caroli.

Rec. Magiſterij perlat. coralſor. ana drac. ij. cornu cerui philoſophice præparati vnc. ſ. contrayeruæ drach. 5. ſemin. cardui benedicti, oſſis de corde cerui ana drac. j. lapid. Bezoar. occident. drac. ſ. raſuræ cornu Rhinocerot. ſcrup. ij. fol. auri ſcrup. 5. miſc. fiat Puluis: cuius vſus, vt alterius.

XXII.

Sal, Extractum, siue Magisterium Citrij.

Rec. succi acidi citrij depurati vnc. iv. Theriacę vnc. i. Mithridatii vnc. ii. boli Armen. orient. terræ sigill., terrę Nocerens. ana drac. iii. specier. Electuar. de Gemmis, radicum angelicę, scorzonerę, ormentillę, anthoræ, contrayerue, dictamni albi, baccarum lauri ana vnc. ſ. Lactis sulphuris, magisterii margarit. puluer. viperini, tophi ceruicapręę, ossis de corde cerui, vel corn. cerui philosophicè præparati, cocci maldiuensis, & eboris similiter pręparatorum, corall. rubr. prępar. semin. citrii, lapid. Bezoar. orient. aui drach. ii. Puluerisatis puluerię

san-

sandis miſceantur omnia, & in-cludantur in tribus, aut quatuor citriis excauatis, extracta tantum medulla acida, contegantur ſuis operculis, & inſolentur per 8. vel 10. dies. Deinde in mortario lapideo cum piſtillo ligneo con-tundantur: benè contuſis, affun-datur aqua naphæ, reddita acidu-la cum ſpiritu ſulphuris, ac vi-trioli (& ſi fieri poſſet, ante appo-ſitionem ſpirituum reddita amara per infuſionem lapidis Mala-cenſis) vt ſupernatet digitis 4. & ponatur in digeſtione, donec extrahatur Tinctura; ſeparata a-qua, alia iterum affundatur, & to-ties repetatur, donec nihil amplius tingatur; tunc fortiter exprimatur materia, & quod exprimitur im-miſceatur aquis tinctis: & de-ſtillentur lento igne, in B. M. ad omnimodam exſiccationem;

remanet in fundo pretioſiſſimum magiſterium. Reſiduum expreſſionis calcinetur, & ex cinere fiat lixiuium, vt extrahatur ſal, quod coniungetur cum dicto Magiſterio in cucurbita relicto, ac ſeruetur ad vſum. Doſis erit à ſcrup. ſ. ad ſcrup. Poterit etiam parari Electuarium ex reſiduo à materia ſupra expreſſa, & extracto in fundo cucurbitæ relicto, ſi non ducatur ad exſiccationem, ſed in extracti conſiſtentia relinquatur, addito lulepo aliquo cordiali: puta de pomis, de corticibus citrii, & ſimilibus, cuius doſis erit drach. ij. cum hauſtu aquæ alicuius cordialis. Vel etiam ex ſolis fæcibus in expreſſione dictorum citriorum relictis, ſine mixtura extracti, cum ſaccharo poteſt fieri electuarium pro pauperibus.

Mal-

XXVII.

Multa alia sunt præstantissima alexipharmaca, composita seu antidoti, quæ possent describi, vt Antidotus de scordio Fracastorij, Bezoar artificiale Preuotii, magisterium viperarum: de quo alibi fusius fauente Deo agemus; compositio illa mirabilis Regum Indorum à Zacuto descripta, dicta Cachunde, quæ in hac febre cum ratione, & opportune vsurpata mire prosunt. De his igitur satis sit dictum, vt deueniamus ad corrigenda symptomata, quæ hanc febrem solent comitari.

DE SYMPTOMATVM CORRECTIONE.

Sectio IX.

I.

INter membra, quæ *citissime* huius venenosæ febris contagium suscipiunt, *ventriculus* sane est, qui mox *nausea* corripitur, *cibi fastidio*, *dolore*, ac procedente morbo, *singultu*. idque prius quam aliud membrum, fortasse quia raro excrementis caret, in quibus promptissime suscipitur veneni mala qualitas.

II.

Itaque curandum primo est; eius excrementa leui aliquo pharmaco deponere, vel clysteré paulo acriori: tum vt sanguinis missioni locus supersit, tum ne morboso apparatui propriis excrementis materiam suppediter; tum vero vt topicis auxiliis, si quando opus fuerit, locus subsit.

III.

Ab alui subductione oportet venenosos illos halitus, aut humores eadem labe fœdatos, aut diuertere, aut corrigere, aut extinguere: Quapropter nausea, fastidio, vomitibus, aut dolore existentibus, oportebit ventrem bis in die ante cibum perfricare, donec rubescat,

beſcat, aut inungere oleo illo mirabili de ſcorpionib. Matthioli. Probatum magis eſt halitus, aut humoris maliuam, aut feruida aqua diſcutere, & retundere, aut acidis, & frigidis apozematibus extinguere, & frenare: quem vſum præſtat ſuccus agreſtę cum ſaccharo, & aqua portulacę: aut panis mica eodem ſucco, aut oxalidis imbuta: mali granati acidi quoque ſuccus, panis mica exceptus; aut ſuccus limonum, cum ſaccharo, & aqua ſcorzoneræ, aut portulacę frigidiſſima. Item parum aceti valde diluti in aqua cucurbitę, aut acetoſę.

IV.

Quod ſi humoris acris, & erodentis aliquid pręeſſe ibidem nobis fuerit compertum, leuiſſimis me-

medicamentis, aut alimentis, & iusculis rem agere oportet, veluti est Alica, ptisana, amylum, mucilagines seminum cydoniorum, & psyllii, cum saccharo, & modico aceto confectę, oleum amygdalarum dulcium recenter sine igne extractum, & cum foliis auri exhibitum, quibus interim aliquid ex Alexipharmacis miscere oportet:

V.

Cauendum in hac re est ab iis, quæ vulgò exterius apponuntur, nisi leue quiddam sit: vt mica panis, aliquo roborante liquore imbuta:

VI.

Quod si compertum fuerit ventriculum calidis gaudere, aut in eo-

eodem esse viscidi, & crassi humoris aliquid, aut sufficienti nativo calore carere, adhibere tuto possumus parum theriacæ aqua scordii dissolutæ: aut pulueris viperini grana aliquot, puta. vj. aut vij. cum tantillo salis absinthij in prædicta aqua: si calidus supra modum fuerit venter, & humores plus iusto feruidi, aliquid ex frigidis adhibere, sicut confectionem ex santalis, magisterium margaritarum, & corallorum, cum paucis granis salis citrij, cuius mentio facta superius sect. 7. aph. 27.

VIII.

Eodem modo in singultu res fieri debet, præter quam quod in eo, dum plurimum laborans defatigatus labitur, deuenire ad epiata non erit abs re. Ad hoc com-

compertum est plurimum valere, si præbeatur syrup. ex succo portulacæ, aut ex papauere: aut emulsio 4. seminum frigidorum maiorum; Verum his præmissis, non erit præter rationem Philonij grana decem cum saccharo rosaceo commista præbere, dum vitæ periculum impendet, si res differatur; alioqui minimè, aut cautè: securius tamen potest exhiberi laudanum nepenthes Quercetani, ad duo vel tria grana, in quo opium adeo Alexipharmacis corrigitur, vt nullo pacto nocere possit. Monachum febre maligna singultuosa correptum, curatum vidistis ab exhibito oleo amygd. dulcium, & cucurbitula supra regionem ventriculi cum profunda scarificatione affixa.

VIII.

Virium interim habenda cura iuſculis, odoribus, modici vini irroratione, alexipharmacis.

Cordi etiam ſummopere prouidendum ſacculis ex ſerico conſtructis, interſutis cum ſpeciebus cordialibus temperatis; exempli gratia, ad vnc. 1. ſeminum citrij, acetoſæ, florum buglоſſæ, borraginis, roſarum rubrarum ana vnc. ſemis. camphoræ ſcrup. vnum ſantalorum rubeorum drach. 1. poteſt addi pulueris radicis angelicæ, biſtortæ, foliorum ſcordij ana drachma ſemis.

IX.

Licet etiam cordis regionem inungere aqua iſta theriacali. Rec.

theriacæ, cófectionis Hyacinthinæ ana vnc. 1, diſſoluantur in ſucco ſcordij, pimpinellæ, ſcabioſæ, & aceroſæ, extractis cum aqua roſacea, ea quantitate, quę libram compleat: quibus adde pulueris cinnamomi drac. vnam, ſantalorum omnium vnc. vnam, pulueris diambræ, diamoſchi ana drach. ſemis, diamargarit. frigidi, electuarij de gemmis ſine ſpeciebus ana drach. 1. miſce cum vncijs ſex ſucci pomorum dulcium redolẽtium, & in alembicum immiſſa deſtillentur per B. M. Huius mirabilis eſt efficacia pro corde: quod etiam præſtat oleum Matthioli, & epithema cordiale ex vnguenti florum aurantiorum vnc. 1. olei ſcorpionum Matthioli drac. 1. ſpecierum diamargarit. frigidi drac. ſemis.

Nec

X.

Nec erit importunus vſus epithematis cordialis huius. Rec. confectionis alchermes drac. 1. theriacæ drac. ſemis, puluer. magiſterii perlarum, Hyacinthorum, cornu cerui pręparati ana ſcrup. ſemis, lapidis Bezoartici orientalis grana duo, diſſoluantur in aquæ ſcorzoneræ, acetoſæ ana vnc. 2. vini maluatic. vnc. 4. M. fiat epithema, cum ſerico applicandum cordi.

XI.

Delabitur ſæpiſſime humor ad inteſtina, citatq; aluũ aliquando excitata dysẽteria, cui protinus omni arte ſuccurrendum eſt cui purgatione ex rhabarbaro facta; prouidendum etiam eſt, non adſtrin-

gen-

gentibus, sed Alexipharmacis, & alimentis tenuioris, & facilioris substantiæ, vt nullo negotio, & breui tempore natura illa conficiat.

XII.

Nihil in hoc morbo frequentius *Verminatione*: Facillime enim generantur lumbrici à maligna putredine, vnde tunc peioris sunt naturæ, quanto peiorem sui principii redolent originem, perniciosiora multo producentes symptomata, quàm qui absque tali febre quotidie in pueris generantur: atroces namque solent procreare capitis dolores, deliria, epilepsias, aphonias, stupores, cordis palmos, tusses ferinas: quin & ipsum ventrem perforasse non semel visum est: vt nuper in muliere textrice, quæ decumbebat in via abadiæ,

ob-

obſeruaſtis, cui per ilia pluſquam viginti per vices cum fæcibus, & cibis immutatis exiuerunt, excitato tumore, in gangrenam, & ſummam putrilaginem degenerante: quæ tamen depoſita vermium ingenti copia, & vlcere ad cicatricem perducto, optime conualuit.

XIII.

Illico igitur hoc ferinum, & exitiale vitium exſtirpandum eſt, antequã in perniciem agantur miſeri languentes; & in negotio tã magni mon ẽti ſtudium ponite, vt ad vnguem ſciatis diſtinguere accidentia, quæ à mera ſuccorum prauitate procedunt, ab eis, quę lumbricorum ſæuientium motus, aut morſus excitant: in talibus enim ſimilitudines pariunt errores, ac difficultates.

Sta-

XIV.

Stabilito tamen, quod maiori parte, in quibuſdam præſertim Regionibus, ac tempeſtatibus, (vt interim taceã Hungaricam Luem, vt *Therioden* dictam, anno 1540. graſſantem, in qua natas paſſim in corporibus lacertas, & Viperas, præter ingentem Vermium in cerebro copiam narrat Iordanus; aut Sabaudicam febrem paulo poſt ſubſequutam, quam Galli ab effectu diro *Trouſſe galant* vocabant, quæ horrendo vermium vomitu fortiores ſtrangulabat: vt ſcribit Leuinus Sanderius,) maligne febricitantes malignis pariter ſcateant Vermibus, ea ſunt ægrotis exhibenda, quę dum vermes enecare cogitamus, febrem non augeant. Potio à Zacuto deſcripta

ſcripta ſecure vſurpari poteſt. Rec. pulpę tamarind. drach. vi. ſem. aceroſę, portulacæ, plantag. ana dr. ß. ſyrup. de ſucco limon. ſyrup. aceroſi ana vnc. ii. aquæ aceroſę, portulacę ana lib. i. Theriacę magnę, confect. Alchermes, Hyacinthinę ana dr ß. corn. ceru. ſcrup. i. ß. corallinæ ſcrup. ß. Scobis eboreę ſcrup. ii. ſucci limonum dr. ß. lapid. Bezoar. gr. xx. corall. rubr. prępar. ſcrup. ß. miſc. fiat Potio ex interuallis ſumenda. Lib. ß. praxi. Hiſt. num. 15. obſeru. 15

XV.

Sed efficacius erit auxilium ☿ dulcificatus, qui ſecure poteſt exhiberi à gr. x. ad xx. pro ętatis, temperamenti, & morbi ratione, in conſerua aliqua ſoluente, vt elect. lenitiuo, caſſia, diapruno; vel in

vno,

vno, aut altero pruno damaſceno ſolutiuo: cuius præſtantiſſima deſcriptio ſic habet, à Reuer. Pet. Caſallo, Sereniſs. olim DD. Mantuæ meritiſſimo Archiatro communicata: Rec. Mercurij lib. ſ: puriſicetur aceto, vel ſucco rutæ depurato, & multiplici per corium traiectione: deinde in porphyrite tamdiu ducatur, donec tercentum folia auri, quæ ſucceſſiue ipſi addantur, in ſe attraxerit, & penitus imbiberit. Deinde Rec. Mercurij ſublimati puriſſimi, abſque arſenico confecti lib. ſ. adde præcedenti auro imprægnato Mercurio, & ſimul in porphyrite tamdiu ducantur, donec Mercurius deliteſcat. Facta hac diligenti mixtura, puluis inditur cucurbitę mediocri, cui optime luto ex argilla, & arena circa fundum loricatæ, alia ſimilis ſuperponatur, iuncturiſque

clauſis, fornaci imponatur ad igné apertum, ſed moderatum, continuo tamen vno gradu, ſex vel 8. horarum circiter, donec ſublimatio abſoluatur. Sublimatus ita Mercurius, reiecta farina fatua, quæ in ſublimi adhærebit, in puluerem redigatur, admiſcendo iterum quod terræ inſtar in fundo cucurbitæ pendebit, aurũ prius lotum, & ſiccatum ſublimetur vt antea, ſicque ter, aut quater repetatur, vt purior euadat, & purgando mitior.

XVI.

Cæterum apozematibus rarius vti oportebit: frequentius vero pulueribus, & paſtillis, ac alijs ſolidioribus alexipharmacis.

Si-

XVII.

Sitis, & linguæ scabrities mitigan-
da sunt humore frigido: & ob
id tanquam febris remedium com
pescenda esse consulit Gal. sexto
pop. parte 3. com. 33. vbi Hipp.
ait. *Sitim sedant, os claudere, tace-
re, ventum cum potu frigido indu-
cere.*

XVIII.

Humectabitur porro lingua
syncipite irrigato oleo frigido, aut
rosaceo, aut decocto aliquo frigido
herbarum ex alto delabente, oxy-
rhodino, linteo quoque imposito.
Et fauces sub mento illinantur
hoc vnguento. Rec. olei violacei,
butyri recentis, florum cassiæ ana
vnc. semis, succi limonum, aquæ
rosaceæ ana vnc. 1. mucilaginis

minum cydoniorum, & fœnugræci in prædicta aqua extractorum, ana drach. 2. misce fiat linimentum, quo imbuatur linteum, & applicetur sub mento.

XIX.

Retineatur in ore sal prunellæ: in febribus enim ardentibus, & malignis Vngaricis, in quibus lingua ad instar prunæ, aut carbonis adurebatur, inuentum est felicissime. Retentio chrystalli in ore, & curiosum instrumentum, quod excogitauit Sanctorius, singulariter prosunt, pro humectanda linguæ scabritie; hoc fit ex vitro, vel ex argento instar amygdali, refertum foraminulis perexiguis, & pari artificio, quo Æoli pilæ folles, aeris scibeneficio, impletur vel sero lactis, vel succo citrij, vel vino granatorum,

sum, vel lora quadam acri, suaui tamen: ore dum circumuoluitur, ex foraminibus sudoris in modum liquor incluſus paulatim stillans effunditur, & sedat sitim, sedaturq; tunc ob instrumenti motum, quo trahitur ad os aquosa pituita, tum ob succum madefacientem linguam.

XX.

Edat autem laborans frigida cibaria, & olera, vtatur tragacantho in oui crudi albumine dissoluto, & cum seminibus cucumeris contrito, ex quo fiat pilula, quę ore detenta paulatim deglutiatur: abluatur lingua cum modico aceto, aut vino rubro, & aqua hordei. Somnus sæpius sitim extinguit, licet in malignis Febrib. id non satis respondeat, quinimo sæpissimè intensiorem efficit.

XXII.

Solet præterea pestilens huius morbi malignitas fauces inuadere, & anginosos affectus efficere, tonsillarum tumores, cancrosa vlcera, aphonias, gulæ resolutiones, & similia, per quæ vix deglutire cibos etiam liquidiores possint, & potum per nares reijciant: quod in prognosticis est adeo exitiale, vt testatur Historia Anginolæ, quæ iuxta Aristionem lib. 3. *Epid. sect.* 2. ægrot. 7. post quam D. Riuerius, & alij. Sic suffocari obseruastis Nobilem Veronensem Spoluerinum, qui decumbebat in foro nundinarum, non potuit euadere, euacuationibus necessarijs à principio morbi destitutus. Euasit Cauponis filius, cui sanguis copiose extractus est, & bene pur-

ga-

gatus: correptus tamen difficultate deglutiendi cum faucium vlcere, recte conualuit.

XXIII.

Remedia pro hoc affectu fuerunt prædictum linimentum; frequentia Gargarismata ex decoct. hordei, fol. oliuæ, summit. rubi, in sero lactis capilli, syrup. granatorum, sale prunellæ, aceto rosaceo, & guttulis spiritus vitrioli. Eclegmata ex flore cassiæ, syrupo acetoso, melle rosaceo, succo hordei, sale prunellæ, & lupi stercore; & tandem cucurbitula sub mento scarificata, quæ alteri non contulerunt, etsi morbum magnopere minuissent. Obstate principijs, & secundum exigentiam, ante quartum euacuate: sic quamuis in progressu morbi eueniant sympto-

mata, mitiora erunt, & superabilia.

XXIII.

Aphoniæ igitur, quę propter antedictas causas anginosis eueniunt, nulla indigent propria curatione, nisi speciatim fuerint conuulsoriæ, non quidem vniuersalis principij (grauius enim hoc malum est) sed instrumentorum ad vocem pertinentium læsione. In his impediri solet quidem vox per aphoniae, vt sermo per anaudias: quæ symptomata quomodocunque in Febribus eueniant, praua sunt, dicente Hippocrate; *Sermonis defectio in febre, mala* lib. 1. Coac. text. 35. sed peiora multò, si cerebrum simul oblædatur. *Quæ enim cum febre mutitates fiunt, conuulsorio modo, in mentis emotionem cum silentio transeuntes, lethales*

sunt,

sunt, aiebat Hipp. lib. 2. sect. 2. text. 21. Coacar. prænot.

XXIV.

At quã sit grauis aphonia, ex historijs Hippocratis intelligetis: quanquam quosdam viderimus, qui in acutis febribus ab eo casu conualuerint: vt puella Sartoris filia, quæ decumbebat in via noua, diebus quindecim integris aphona, cum mentis emotione, recte cõualuit, vesicantium præsertim, inter alia remedia pro febris malignitate vsurpata, beneficio. Cæterum quam rarum hoc sit euadere languẽtes per similes aphonias, ex his colligite. Philini vxor decimoseptimo aphona, vigesimo obijt. Silenus septimo, & octauo aphonus, vndecimo exspirauit. Phyliscus quinto aphonos,

sexto moritur. Pythioni aphonia frequens, decimo mors. Phreniticus secũda die aphonos, quarta obijt: & alia, quæ possent colligi in huius argumenti testimonium. Sed ista ex Epidemiorum libris sufficiant.

XXV.

Reliquum est, vt insignem audiam, siue aphoniam referam, vxoris Barzizij, quæ filiam pepererat: hęc post quindecimã correpta febre, cum mentis emotione, & silentio, mox cum furore, & inordinatis motibus conuelli videbatur: melancholica, anaudes: addo & catocho modo aphona, & vt cum Hippocrate loquar, lib. 2. sect. 2. text. 23. Coacar. dicente: *Quæ cum exsolutione Catocho modo fiunt aphoniæ, lethales sunt.* Non fuit

hæc

hæc lethalis, forsan quia sine virium exsolutione: quod mirum certe in enixa, copiosissimis lochijs exinanita, concreto, & atro sanguine per mensem affatim fluente, necnon febre acuta, cum grauissimis symptomatibus agitata.

XXVI.

Modus aphoniæ, vt catochi, causam arguebat sanguinis in venis concretionem, posteriorisque præsertim partis cerebri, quod melancholicis plerumque accidit, humoribus in substantiam quandam terream, crassam, ac viscidam migrantibus, & spiritu vitali, qui suo motu, suaque tenuitate sanguinem, quem totum peruadit, liquidum reddere solet, præpedito. Respondit euentus: exhibito namque generoso purgante eme-

tico, ex infusione scil. pulueris Algarotti, vrinas minxit claras quidem, sed quæ citissimè in matula gelatinæ instar concreuerint, vitro etiam inuerso adhærentes. Hoc sæpe repetito medicamine, & tali succo per vrinas educto, paulò post resipuit, loquela, prudentia, & integra sanitate restitutis.

XXVII.

Fiunt itaq; ex Hippocratis sententia aphoniæ, & conuulsorio modo, & catocho, prout concretus sanguis in alterutrum inclinauerit: Si quidem in corpus, epilepticæ, si autem in mentem, melancholicæ fiũt mutitates: lib. 6 Epid. sect. 8. text. 49. conuulsionem namque ab humore obstruente, melancholiam vero ab alterante, & obtenebrante mentis sedem

dem fieri certum est, & inuicem commutari non rarum. *Melancholici plerumque consueuerunt fieri epileptici, & epileptici melancholici*, &c. loco citato.

XXIIX.

Nec minus sentiunt oculi huius febris malignos insultus? Non refero iam feroces oculos, fixos, immobiles, lumen refugientes, scintillantes, emortuos, fractos, & sexcētos, qui in præsagiēdo huius morbi exitu tantopere præstant, & tam nimis frequenter obseruantur. *Vt enim oculi valent, ita & totum corpus*, dicebat Hippoc. 6. Epid. sect. 4. tex. 25. sed distortionem, & strabismum, quo solent inuri tanquam stigmate, qui difficulter ab hoc morbo euaserunt, leui maligni succi portione in

mu-

musculos insinuata; sed iudicatorio potius, quam conuulsorio signo: vt de eo qui decumbebat in horto Dealcis 3. Epid. sect. 1. text. 3. notauit Hippocrates, & nos in multis obseruauimus. Quinquagenarius quidam ex Rodulphis, & adolescens Lafrancus, Nobiles Veronenses, post huiusmodi grauissimos morbos remanserunt strabones, quorum senior frequenti vsu pilularum sine quibus, & aggregatiu. perfecte conualuit: iunior, licet cum oculi aliqua læsione, optimè valet.

XXIX.

Dolor.

Non minus solet in hoc affectu facessere negotium, quã quodvis aliud accidens, cui tanquam ma-

maioris mali præludium ocyſſime ſubueniẽdum eſt. Si caput doleat, primo reuellendus humor, aut vapor, præmiſſa vniuerſali euacuatione per fricationes, & cucurbitul. ab infernis ad ſuperiora: ſecundo repellendus à capite, hocq; leuibus, vt populeo vnguento, oxyrhodino roſaceo. Item ſyrupi de papauere vnc. 1. aquæ buglоſſæ vnc. 3. miſce. Poſtea diſcutiendum, vltimo mitigandum. At totum corpus ſi doluerit, præter vniuerſales euacuationes, nullum aliud auxilium admittit, præter vniuerſales totius fricationes. Optimum tamen erit in his febribus ardentiſſimis cum ingenti capitis dolore, auxilium frontale apponere, ex vitellis ouorum ſale commixtis, & conquaſſatis, & inter duo lintea ſubtilia fronti applicatis, & toti ſpinæ dorſi.

Re-

XXX.

Renum doloribus succurrendum, non externis vnctionibus, sed refrigerantibus clysmis ex hordeo, oleo rosac. sacchar. vitellis ouorum, lacte. Item alimentis temperatis frigidis, vt ptisana, Amylo, seminum frigidorum emulsionibus.

XXXI.

Vigilia sæpe in his grauissimum symptoma, & maiorum accidentium minax, cui protinus succurrendum est. nam vires plurimum dissipat, & humores ad caput allicit: quod quidem solet esse delirij, ac sæpe phrenitidis signum, & causa: fit ex calore feruenti, & halitibus acribus, & mordacibus;

si-

ſicut ex oppreſſione, dolore capitis, iactatione, inquietudine, quæ ſpiritus ſupra modum attenuant, & diſpergunt.

XXXII.

Neceſſum eſt ſilentium, & quietem imperare, diſtractis vaporibus, facta diuerſione cucurbitulis, ſuris, & natibus affixis, ac per ligaturas extremarum partium: Item refrigerato feruore aqua frigida, vel aposmatum vſu, præſertim prope horam ſomni.

XXXIII.

Vtendum tamen caute eſt crurum lauacris, aut ſaltem præmunito corpore id efficiendũ, euacuato nimirum, & ante macularum apparitionem, & in conclaui calido,

do,& humore raptum ad aliquod princeps membrum minante:

XXXIV.

Conciliatur etiam somnus modulationibus, fonticulis arte factis,& aquarũ currentium leni susurro. Fatigatione etiam, vt lassatus requiescat. Itaque oportet cogere laborantem apertis oculis stare, vel in lecto sedere, vt alij interpretantur, quemadmodum consulit Hipp. libro 6. epidem. com. 4. textu 16. *Somnus* (inquit) *stabilis, erectorum nictatio*. Quamobrem oportet brachia, ac tempora fricare eo tempore, ac illis iubere candelam ardentem manibus tenere, donec defatigati dormire quandoq; cupiant: nam vetita appetuntur vehementius. Cauete tamen ne hac arte vtamini in

Phre-

Phrenitide, aut graui capitis ficcitate inflammatoria, Auicenn. 1. 4. Tract. 2. c. 20. & 1. 3. Tract. 4. c. 5. & Paulus lib. 2. c. 24.

XXXV.

Somnus etiam conciliatur medicamentis, aut alimentis frigidioribus halituosis, vt amygdalatis, & conditis: veluti eo quod recipit sacchari, violati, ros. borraginati an. vnc. sem. puluer. sem. papaueris albi, & [illegible] ana dr. 3. fiat conditum cum folijs auri, & modico sacchar●. Eodem modo in ouo sorbili scrup. semis seminis papaueris nigri adijcere possumus. Exhibemus etiam eclegmata ex papauere ad cochlearia tria, aut quatuor, in remissione febris præsertim, si diu ore contineantur.

XXXVI.

In quem vsum miros præstat effectus syrupus de Laùdano, cuius drac. j. vsque ad drach: ij. suauissime, & impune somnum conciliat. Conficitur vero syrupus ex syrup. de succo citrij, & cydoniorum ana vnc. IV. laudani liquefact. gutt. lx. miscentur in vase vitreo. At Laudanum hoc artificio reddetis liquidum: Rec. opij Thebaici in lamina ferrea exsiccati vnc. j. croci orient. macis ana vnc. ß. spirit. vitrioli vnc. IV: aquę rosar. vnc. vj. fiat maceratio in B. M. per 6. hebdomadas: cuius liquoris per se possunt exhiberi gr. ij. ad x. Potest Laudanum opiatum Quercet., vt accurate iam est præparatum, absque alio labore, quantitate sesquiunciæ macera-

ri

ti in aqua rosacea, additis tantum spiritu vitrioli, & macete.

XXXVII.

Item potio hæc somnifera eundem vsum præstat. Rec. decoctionis lactucæ, & portulacæ vehementer expressæ vnc. duas. syrupi de papauere vnc. j. misce, dentur quatuor saltem horis à cœna. Si vires sint alioquin imbecilles, adduntur pulueris diamargaritonis frigidi gran. 10. Præstabit etiam capitis irrigatio ex oleo violaceo, nenupharin. cucurbitæ, papaueris, cum succis lactucæ, intybi, solani, ymbilici veneris.

XXXIIX.

Vltimo somnus conciliatur detectis in cerebro spiritibus anima-

ma-

malibus, quo minus possint ad sensus instrumẽta libere permeare: quod perficitur vnguento populeo natibus, & fronti illito. Item pomo, aut spongia hypnotica, de quibus alibi.

XXXIX.

Verum si neq; his vigiliæ cessauerint, & aliquæ rectigationes, & leues tremores in manibus obseruentur, timor est ne humor morbosus, aut vapor iam sursum rapiatur: quoniam caput exsiccatũ, & calefactum præ vigilia facile suscipit, & ab inferioribus trahit. Euidentius erit periculum, si forsan aliquantulum dormierit, & turbatus excitetur, aut inter dormiendum loquatur: prouidendum erit huic periculo omni arte, ligaturis, frictionibus, cucurbitu-

lis,

lis, clysteribus, vesicantibus reduplicatis, si forsan iam apposita fuerint, & tandem oxyrrhodino tonso capiti apposito.

XL.

In hoc casu a quibuscunque somniferis intus exhibitis, præsertim ab opiatis prorsus abstinete, ne dum quietem quæritis, in contrariam affectionem ægrum deducatis: raptis namque vi soporiferi, ac virosi medicaminis sursum caliginosis vaporibus, impense repletur caput, & in profundum soporem, aut immedicabilem typhomaniam facile delabitur. Quapropter in curandis vigilijs, quæ has febres comitari solent, estote vigilantissimi, vt ad vnguem sciatis distinguere occasiones exhibendi somnifera, vel

ab

ab eis abſtinendi. In quem errorem ſatis infeliciter impegiſſe quoſdam, non ſemel obſeruaſtis. Notate bene quæ in præcedentibus aphoriſmis exarantur circa vigilias, vel metas, vel prauis vaporoſis ſymptomatibus aſſociatas.

XLI.

Quod ſi iam delirare *inceperit*, cucurbitulas ſuris affigere oportebit, eaſque ſcarificare, & plurimum ſanguinis *extrahere*: ſi vero neque his conquieſcat delirium, & adhuc perſeueret violentius, deriuantibus eſt agendum: affigendæ erunt cucurbitulæ ceruici, & brachijs, & vna ſupra nuchæ, (ſeu primam vertebram) ſcarificandæ, & ſi adhuc præſentia ſit ſanguinis, po erunt cucurbitulæ, quæ brachijs affiguntur, in parte ſu-

ſuperiori nempe, ſcarificari: com-
pertum enim habetur maximi
eſſe momenti in hoc malo hoc
remedium.

XLII.

Verum ſi delirium adhuc non
quieuerit, coniectandum eſt ali-
quid iam eſſe in capite firmatum,
& receptum, cui non ſufficiunt
reuulſiones, deriuationes, aut re-
pellentia; ſed ad ea quæ à capite
ipſo euacuant deueniendum.

XLIII.

Quamobrem antequam in ve-
ram phrenitidem malum degene-
ret, oportebit frontis vena, aut naſi
ncisa, quod caput receperit, eua-
uare, mox idem per ea auxilia,
quæ inſenſibiliter euacuant, ten-
are: ob id addere oxyrrhodinis

aliquid discussorium oportebit, vt est oleum chamæmeli : & tantum eius adijcere necessum erit, quantum symptoma hoc alijs auxilijs non quieuerit, donec solum vtamur chamæmelino cum modico aceto.

XLIV.

Deinceps vero ad ea quæ actuali calore resolutionem moliuntur, deueniendum est: quem vsum præstant arietis pulmones adhuc calentes naturali calore, quos à remissione caloris decoquere poteris denuo in aqua, adiectis floribus chamæmeli, vt denuo applicentur, & pluries, adiectis floribus chamæmeli : aut columbarum pulli, aut catuli per dorsum scissi, & pulueribus santalorum inspersi, & chamæmeli : à quibus tamen erit desistendum, si æger videatur à delirio quiescere.

Sed

XLV.

Sed inter truculentiora ſymptomata, quorum ſatellitio ſolet ſtipari tyrannus iſte morbus, non eſt prætermittendus *laſciuus furor uterinus*: quem vt ſemel cum admiratione obſeruaſtis, ſic poteſt ſæpius contingere. Mulier illa, quæ decumbebat ad viam nouam, magne febricitans, circa vndecimam diem abortum fecit, quantumuis mediocriter lochijs expurgata, in ideo turgentem coitus appetitum, ſeu potius impudicum vteri furorem incidit, vt pulſo omni pudore (mulier alioquin honeſta, & bene morigerata) quaſi œſtro percita, non ſolum aſſiſtentes quoſcunque inſectaretur, ac ſolicitaret, ſed petulanter apprehenderet, ac impoſitis clunium motibus per

lectum, quamuis ligata, agitare-
tur.

XLVI.

Præter naturale temperamentum bilioſum, & aduſtum ſubfuſcæ mulieris, putreſcentes maligné, & acerrimè halitus ad cerebrũ delati, & in locis muliebribus pruritum ſimul ingentem excitantes, deſipientiam iſtam pepererunt, quæ per multos dies perſeuerans, tandem ſanguine largiter à pede miſſo, fotibus, frictionibus cucurbitulis, ecſtrophijs, ac glycei peſſarijs (quibus corrupti ſemini non parua quantitas reiecta) tandem conuenienti exhibito cathartico, perfecte curata eſt.

XLVII.

Solet etiam non minus negotium

tium faceſſere importuna ſomnolentia, & propenſio ad ſomnum, quæ non minus graue malum minatur, quam vigilia: vt enim hæc phrenitidem, illa lethargum, præſertim ſi morboſus apparatus fuerit pituitoſus, aut cum humorum crudorum, & craſſorum copia: iſti dum caleſcunt, ſurſum halitus dē-ſos, & caliginoſos protinus tranſmittunt, qui non raro lethargum efficiunt. Quapropter, & his quā-primum ſuccurrēdum, ijſdem ferme auxilijs, quę pro cuitāda phrenitide propoſuimus, ſed frequentius, & pertinacius adhibitis: omni arte excitandæ ſunt facultates animales, auulſis pilis, & diſtortis digitis pedum, aut manuum, vt dormire non permittantur. Oxyrhodina ea ſint, quæ in reſolutione phrenitidis propoſuimus, nimirum quæ oleum chamæmelinū à prin-

cipio recipiant. Cucurbitula pariter scarificata supra primas colli vertebras est singularis auxilij.

XLIIX.

Hirudines affigantur venis sedalibus: quod auxilium in prædominio humorum crudorum, & crassorum, à quibus ista accidentia dependent, tantum valet, quantum in phrenitide surarum scarificationes ex vsu esse diximus. Si neque istis somnus excutiatur, sternutamentis vtendum erit, & alijs similiter remedijs, quæ in capite de lethargo, & soporosis affectibus à cunctis practicis describuntur.

XLIX.

Præterea solent, qui ista febre maligna laborant, tentari *parotidi-*

bus,

bus, al quando bono omine, aliquando non. Caput robustum, & validum tentat se exonerare, si vires constiterint, vt per parotides possit educi materia morbifica: suppuratis, & expurgatis parotidibus, liberantur ægrotantes crisi quadam imperfecta: si vero fractis viribus supervenerint, ægrum potius iugulant, & conatus naturæ irritos ostendunt. Quapropter, & motus iste naturę iuuandus est, & moliendum, vt quamprimum ad augmentum properent, sed simul cum aliqua materiæ discussione, ne si plus quam par sit materiæ peccantis attrahatur, laborans suffocationis periculum subeat.

L.

Itaque si vires permittant, quã primum apparentibus parotidibus,

erit mittendus sanguis ex cephalica, in quantitate mediocri: sin minus, cucurbitulas scarificatas brachio eiusdé partis, aut scapulis affigere oportet, & mox adhibere, quę citra maximam attractionem discutiendi vires obtinent: vt oleum chamæmelinum tepidum, cum lana sæpius adhibitum, axungia gallinæ, aut modicum vnguenti dialtheæ: quod si ista profuerint, perseuerandum est, donec ex toto pagotides euanescant.

L l.

Sin minus, emplastro suppurante vti oportet, quod fiet ex oleo de semine lini, chamæmelino, croco, & vitellis ouorum: vt Galenus tertio pharmacorum secundum locos, cap. de parotidibus vtitur, quæ mitigandi, & leniendi dolores vires obtinent.

Si-

LII.

Sicut in alijs quælentè prorumpunt, aut pestilentes sunt, attractorijs vti oportet, & cucurbitis eadem parte affixis.

LIII.

Quod si tantum creuerit paretis, aut tam venenosa sit, vt laborãs de suffocatione periclitetur, antequam natura, aut discussioni, aut suppurationi sufficiat, consultissimum est, candenti auro, aut ferro aliquo leui illam vnico foramine aperire, vt veneni vis, aut immodica humorum copia facilius exspiret. Quo sane auxilio plurimos veluti deploratos sanitati fuisse restitutos compertum est.

LIV.

Fœda *Phthiriasis* non raro etiam hunc morbum comitatur, malo certo omine, vt dictum est supra, si in principijs appareat: nisi purgatione debelletur, remedium non habet, vt contigit famulo pharmacopolæ ad D. Zenonem, qui quarta die apparente Phthiriasi, sexta miserè extinctus est: cum enim ad ingentem putredinem, & malignitatem sequatur, vix resistendo sunt miseri languentes. Et quamuis expurgatione timeri meritò possit palindromia maligni succi ad interiora, tentari tamen debet in periculoso casu. Nec minus tentandum purgatione phthiriasim tollere, quàm multos sudores per somnũ factos: sed hic purgatione sola;

illic

illic mixtis ſemper validiſſimis alexipharmacis, & frictionibus externis verſus cutem motũ vaporũ, qui à ſanguine putri eleuantur, ex quibus pediculi pullulare ſolent, cientibus.

LV.

Quę in morbi declinatione accidit. ex ſe lethalis eſſe non ſolet, incipiente iam natura coctionibus morbum vincere: tædio tamen, & fœlitate languentes excruciat; nec ſinit quietem habere. Remedia ſecurius adhiberi poſſunt: expurgandum erit corpus, habita præcipui morbi, & eius temporis ratione: viſcera roboranda, & ſanguis putredinali diſpoſitione infectus omni ſtudio emundandus.

Spe-

LVI.

Specificum remedium in deſtruendis radicitus pediculis mercuriuseſt, tum intus, tum extra applicatus : poteſt namque ſine præcedentis morbi ſuſpicione, lauari cutis aqua iſta mercuriali: paretur decoctum ex ſtaphide agria, fumaria, ſcabioſa, lupinis, aut ſimilibus; vel vſurpetur ſuccus alterutrius horum ſimplicium; vel aquæ eorum ſtillaticiæ, cum quibus in phiala optimè agitetur per horæ ad minus ſpatium mercurius : ſeparato poſtmodum liquore, vtimini leui ſpongia eo imbuta, vt cutis leuiter madefiat. Intus dulci mercurio nihil mirabilius. Si in declinatione febris malignæ apparuerint copioſi pediculi, cum medicamento, quo vobis vien-

vtendum erit ad vltimam expurgationem, secure exhibere eius gr. aliquot, ad minus scrup. sem.

LVII.

Laudatur pariter vsus Theriacæ, cui ex Gal. v. simp. med. c. 2. opponet forsan aliquis; viperarũ carnem pediculos maxime procreare: *quibus nempe*, ait, *affatim est malus succus in corpore*. Sed Theriacam potius ratione aliorum ingredientium reprobate, quam ratione carnis viperinæ, in calente adhuc cinere febris malignæ, ne suo calore de nouo incendiũ excitetur: nã caro viperina in affectibus cutaneis insigniter valet, teste eodem Gal. *properat enim vis eius ad cutem, per cã, quæ in corpore sunt recrementa exigens*: Vnde quantumuis primis diebus ingentẽ pediculorũ copiam procreasse videatur; sequẽtibus tandem emundato mirabili-

ter

ter ſanguine, non amplius pullu-lant, cõſumpta pediculorum omni materia, & per ipſam cutem in pediculos, & hinc ius diſſipata. Vicem igitur ſuſpectæ Theriacæ ſuppleat puluis viperinus, ſingulare in enecandis vermiculis alexiterium, à quo vliginoſæ reliquiæ malignitatis pariter abſorbentur.

LIX.

Hoc ſingulari, atq; efficaci remedio non ſolum roborantur nobiliora viſcera, maſſa ſanguinea, ichoroſa, ac putri labe coinquinata expurgatur; ſed affectus omnes cutanei, in quos per difficiles iudicationes terminari ſolet iſte morbus, propter materiæ peccantis, tũquam ſatis bene concoctæ, viſciditatem, quæ extremæ cuti adhæreſcens, eam acri exedit prurigine, & ſœda, ac furfuracea contaminat ſcabie, apprimè delentur.

Quod

Quod loco citato scripsit Gal. iis verbis. *A cute ceu squama abscedit, ac decidit extima cutis* (quam Græci vocãt ἐπιδερμίδα) *ad quam sistũtur, ac retinentur crassi, terreiq; hũ mores ad cutem protrusi, a quibus quidem psoræ, lepræ, & elephantes nascuntur*. Nobili Cantabro Izaguerrio, quẽ olim curauimus, post malignũ morbum illud contigit, vt tota epidermis abscederet à cute, non quidẽ in furfures, aut squamulas, sed in lora oblonga, quæ à toto dorso vno tractu euellebantur. Acris, & subtilis, viscida tamẽ materia hoc effecerat, vt exuuiũ, seu senectam, serpentis ad instar, conualescendo immutaret.

LIX.

Sed si contingat acrem istã materiam in cutem capitis deponi, *cuium capillorum* sequitur, quæ

quasi per abscessum, interno capite in cutem, & radices capillorum extrudente sua recrementa: vnde sæpe fit, vt qui ex hoc morbo impensius delirarunt, superueniente capillorum defluuio liberentur, tò magis, si aliæ magis aptæ euacuationes coniungantur: vt contigit Dexippo, qui post defluuium capillorum, & vrinam simul copiosam, & crassam subsidentiam habentē, à delirio liberatus est. 6. Epid. sect. 6. tex. 21. In conualescentibus igitur, vt plurimum hoc sequitur salubre vitium, quod non illico adstringentibus reprimendū, ne maligni halitus iterum intus se condant; sed cunctandum, donec cerebrum longo defluuio fuerit satis exoneratum. Tunc ex Cosmetica quærite remedia, vt suppleat ars, quod morbus abstulit.

FINIS.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA